


BIBLIOTECA NAZIONALE
6
3 A
25
VITTORIO EMANUELE

FRANCI-
ſci Sanctij Bro

CENSIS IN INCLYTA
*Salmanticenſi Academia Rheto=
rices profeſſoris de arte di=
cendi liber unus denuò
auctus & emen
datus.*




Cui acceßit
IN ARTEM POETI=
cam Horatij per eundem
autorem breuis elu-
cidatio.



SALMANTICAE
Excudebat Mathias Gaſtius.
1558

AMPLISSIMO

DOCTORVM AC MAGI=
gistrorum ordini Salmanticēsis Aca= demiæ Franciscus Sanctius Rhe= torices professor,
S. P. D.





VM QVAE SV= pra uires dicendi meas po= sita sunt conor attingere (il lustres uiri) temeritatis cri= mine non dubium est quin ueniā incusandus: quod idē si non fecero, ingrati animi notam non sine probro maximo reportabo. Nam uos meis nugis solicitare rebus presertim arduis uacantes, durum admodum omnibus fortasse ui= deatur: pro tot in me rursus collatis beneficijs nul las omnino gratias agere, id uerò non modò inhu manum, sed penè dixerim impium semper existi= maui. Malui deniq; (cùm grati animi utcunq; in= diciū sim professus) desiderari ab omnibus mode= stiam meam, quàm si id non præstitissem, accepti beneficij confeßionē. Quod etiam ut libentiùs au=

 derem,

derem, autor mihi Cicero fuit, qui ab ipsis Naturæ legibus admonitus, hæc scripsit diuinitùs: Nemo gratiarũ immemor est gratus inuentus. Ago igitur uobis immortales gratias, uirtutũ omnium antistites, quòd me in patrociniũ ueſtrũ ſuſcepiſtis, & ut Salmantinam iuuentutem in rhetoricis inſtituerem, ex qua mediocritate in tantũ gradũ poſuiſtis! Quod mihi iniunctum munus ut expeditiùs obire poſſem, artẽ ſiue methodum quandã nõ cõpoſui, ſed ex antiquis probatiſſimiſq; Græcis & Latinis autoribus concinnaui, quam ueſter, & ad ueſtros, cui potiùs, quàm uobis dicarem, inueni nemin ẽ. Idq́; non ut gratiã referrem (priuatorum id enim eſt mutuis inter ſeſe beneficijs decertãtium) neque enim aut ueſter ſplendor beneficiorũ deſiderat remunerationem, aut mea tenuitas ullam ſuppeditat retribuendi facùltatem. Sed eo tantùm animo hoc ſum auſus moliri, ut meã erga uos gratam memoriam ac potiùs pietatem teſtatiorem relinquerem. Deus Opt. Max. uos quàm lõgiſſimè ſeruet incolumes, conſiliaq́; ueſtra ſic regat, ut ad demerenda bona ingenia, æternamq́; ipſius requiẽ conſequendam præbeat facultatem. Valete.

Rhe=

RHETORICES STV=
diosis. S.



ON *putauit egregius ille pictor* Zeuxis, *cùm* Helenam Crotoniatis *depingendam suscipiret, omnia quæ quæreret ad uenustatẽ uno in corpore se reperire posse, quòd intelligeret, nihil esse ab omni parte beatum, ut* Flaccus *inquit. Quinq; itaq; uirgines è multis forma præstantibus elegit, ex quibus omnibus perfectè unam* Helenam *effingeret. Ego autem cùm aliquid* Helena *formosius depingere instituissem: optimos quosque dicendi magistros proposui sequendos, ad quorum exemplar penicillum meum moderarer. Sed quia quisque suam uiam institit, ex* Cicerone, Quintiliano, Hermogene, & Aristotele *quandam relictis opinionibus decerpsi methodum, quæ meritò dicendi ars posset appellari. Huiusmodi enim aliquam, cùm multas euoluerim, mihi uidere non contigit hactenus. Multis quid sentiret aperuit nobis* Quintilianus. Cicero *hanc rem uariè tractauit, nec paucioribus. In partitionibus succinctus magis quàm ut*

addiſcentibus ſit aptus. Cornificij quæ ad Heren-*nium extat omnium,quas legerim,accedit ad artē proximè. Sed ſunt in illa multa uel mutanda uel omnino tollenda. Quare aliam uiam aggrediendam putaui, ut ſine temporis iactura, qua nihil pretioſius,auditores meos inſtituerem.* Et *ut rectiùs inſtituti mei conſtet ratio,illud omnes uelim admonitos,me nō compendium (quid enim peius, cùm id fiat maximo auditorum diſpendio?)ſed artem ſcribere,qua quiuis poßit & in poëtarum & oratorum ſcriptis nō ſine laude diuagari: & quæ ab alijs de rhetorica ſunt præcepta,non ignorare.* Non *tamen hîc minutula quædam ſumus cōplexi, quæ* Progymnaſmata *dicūtur,hæc enim pulchrè tradūtur ab* Aphthonio,*in quo elucidando aliquā ſuperioribus diebus opellam nauauimus.*Illud *tamen affirmo:qui diligenter noſtram artem euoluerit,eum de quauis re propoſita facilè dicturum, nedum de* Progymnaſmatis.Non *tamen perfectū polliceor oratorem,id nanque non ſolis & nudis præceptis conſtat:ſed uaria lectione,maxima exercitatione,egregiaq́; natura.* Medio *quodam ordine procedimus, ex antiquis Græcis* Latiniſq́; *rhetoribus præcipua quæq; colligentes,inq́; ſuum ordinem collocantes. Agimus enim primò de* In-*uentione,*

uentione, natura ita postulante: priùs enim inue-nicndæ sunt res, quàm collocandæ, aut ornandæ. Deinde de Dispositione, siue iudicio, ubi etiam de memoria, quæ maximè dispositiõe iuuatur. Quod uerò nostri fuit laboris et diligentiæ, singulis præceptis selecta ex probatißimis autoribus exempla subiunximus. Quod autem ad Elocutionem attinet, Audomari Talæi ordo adeò ipsi naturæ rerum consentit, ut si alium quærere conarer, peiorem inuenissem. Reperto enim quod est optimum (inquit Fabius) qui quærit aliud, peius inuenit. Illius igitur ordinem in omnibus ferè sum secutus, paucis uel mutatis, uel omnino sublatis, nullius addictus iurare in uerba magistri, ut Flaccus inquit. Scio mihi cum Talæi sectatoribus fore paratas lites, quòd ille solam Elocutionẽ Oratoris esse propriam putat. Inuentionem & Dispositionem solius Dialectici. Quibus ego in præsentia respondeo, me in hoc libello antiquorũ præcepta in ordinem collegisse, & ex illorum pratis meum hoc sertum complicasse, alibi fortaßè quid de hac re sentiam, disputaturum.

FERDINANDI SANCTII
Brocensis ad Lectorem
Carmen.

Si tibi pennigeras amor est captare uolucres,
Continuo gressus frondea in arua moues.
Siue iuuat tremula deprendere arundine pisces,
Vitrea piscosæ flumina quæris aquæ.
Scis ab Erythræo pretiosas littore conchas,
Atq; è Panchæo germine thura legi.
Sic tibi facundas si mens est fundere uoces,
Quæ Fabij sapiant, & Ciceronis opus:
Huc oculus, Lector, huc dirige mentis acumen,
Perfectæ hîc nosces dogmata Rhetorices.
Hæc fratris Sanctij, typis tibi cusa secundis,
Pagina Nestoreas suppeditabit opes.

FRANCISCI
SANCTII BROCENCIS IN
inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices professoris de arte dicendi, liber unus.



Hetorica est bene dicendi scientia. Cuius partes sunt tres. Inuētio, Dispositio, Elocutio. Nam cùm omnis uis oratoris sit in rebus & uerbis: res & uerba inuenienda sunt, & collocanda. Propriè autem in rebus inuenire, in uerbis eloqui dicitur. Collocatio quoque rerum appellatur dispositio, in uerbis uerò numerus, siue cōcinnitas, quæ pars elocutionis est. Vox, motus, uultus, atque omnis actio eloquendi comes est: nisi malis histrionis esse propriam. Memoria harum omnium custos artium omnium estcommunis. Partes igitur, quas suscepimus tractandas, hoc ordine collocabūtur.

Prima erit inuētio, in qua rationes exquiruntur ad probandū. Secunda dispositio, siue iudiciū,

ubi de collocatione argumentorum, & orationis partibus, atq; memoria disputabimus. Tertia elo=cutio, quæ tropos, & figuras, cæteraq; ornamen=ta, actionem & pronuntiationem continebit.

DE INVENTIONE.

INuentio est ratio argumenti excogitandi ad explicandam quæstionem.

Argumentum est probatio quæstionis.

Quæstio est id, de quo agitur. Cuius duæ sunt par tes: Infinita, quæ Græcè thesis, Latinè propositum, siue cōsultatio solet appellari: quādo sine proprijs personis, locis, aut temporibus res tractantur, ut An expediat Christianis bellum gerere. Definita, quæ Græcè hypothesis, Latinè dicitur controuer=sia, siue causa: cū appositis proprijs personis, locis, & tēporibus quæstiones disquiruntur, ut an ducē da sit uxor Catoni. Hanc solam quæstionē in tres partes antiqui diuiserūt, genera causarū appellan tes. Nā cùm de uitijs aut uirtutibus erat dicendū, exornationis siue laudis genus appellabāt: cùm de re utili aut inutili, suasoriū seu deliberationis: cùm uerò de æquitate, iudiciale. Generalem illam quæ stionem dialecticis concesserunt. Quos tamen

Cice=

Cicero reprehendit, cùm utramq; quæstionem ab utroq; artifice tractari confirmat. Cui etiam causarum in tria genera diuisio non probatur, cùm innumerabilia esse arbitretur. Hæc tamē innumerabilia relinquit exercitationi, triaq́; illa potiora exornationis, suasionis, et iudicij prosequitur: quia cùm tradita sint cuiusq; artis difficillima, reliqua, quia faciliora aut similia, nihil erit pericli si prætermittantur. Vt enim in pictura, qui hominis speciē pingere perdidicerit, poterit cuiusuis uel formæ uel ætatis, etiam si non didicerit, pingere: ita qui primarum & certarum rerum genera ipsa sunt adepti, reliqua facilè persequentur. Nunc igitur his tribus præcipuis generibus cōmunia proferamus argumenta. Orat.2

Omnis res argumentando confirmatur aut ex eo quod personis, aut ex eo quod negotijs est attributum, aut ex eo quod utrisq;. Personarum attributa sunt: natio, patria, genus, sexus, nomen, ætas, dignitas siue conditio, educatio, habitus, affectio, studia, uictus, bona animi, bona corporis, bona externa, facta, casus, orationes, mors.

Natio admonet quod sit cuiq; genti peculiare ingeniū, aut mores proprij. Non enim idē probabile est in Barbaro, Italo, & Græco. Cic. Iudices Philip.5

legit

legit Græcos, ô consessum iudicum præclarum.
Pro Syl. Idem. Licèt ipsi nos amemus, tamen neque calliditate Pœnos, neq; artibus Græcos superamus.

Patriæ tractandæ eadem erit ratio. multùm enim refert sitne aliquis Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis. Hîc consideramus, patriæne claritati respõderit, an humilitatẽ superauerit.

Carm. 1 Genus, quibus quis maioribus sit prognatus, ostẽdit. Horat. Mœcenas atauis ædite regibus.

Sexus etiam uaria suppeditat argumenta. Facinus enim magnũ plus laudis habet in fœmina quã in uiro: & ueneficiũ in fœmina, furtũ in uiro credibilius.
AEne. 4 Vir. Variũ & mutabile semper fœmina.

Nomen diuiditur in notationẽ, & coniungata. Notatio, siue nota, siue etymologia est propria nominis interpretatio. ut non est consul qui patriæ non prospicit: consul enim à consulendo dicitur. Sic Augustus de eo qui locum paternæ sepulturæ arabat, dixit: hoc est uerè patrem colere. Cicero
In Verr. multa iocatur in Verris nomen. Coniugata dicuntur, quæ ab eodem principio orta uariè commutantur, ut iustus, iustitia, iustè.
Heaut. Terent. Homo sum, humani à me nihil alienum puto.
Met. 13 Ouid. Quis magno melius succedet Achilli, quàm per quem magnus Danais successit Achilles?

AEta-

AEtatis cuiusq; notandi sunt tibi mores, quia aliud alijs annis magis conuenit. locus hic ad multa utilis in affectibus praecipuè laudē obtinet. Vir. AEne.1
Infelix puer, atq; impar cōgressus Achilli. Idem. AEne.12
Dauni miserere senectae. &. Miserere parentis lōgaeui. &. canitiem multo deformat puluere.

Dignitas siue conditio. Clarus, an obscurus, magistratus, an priuatus, ciuis an peregrinus, liber an seruus. Terent. Seruum hominē causam orare le- Phor.
ges non sinunt. Idem. An paulùm est uirginē uitia- Eunuc.
re ciuē? Virg. Et nostris illuserit aduena regnis? AEne.4
Idē. Exulibus nę datur ducenda Lauinia Teucris? AEne.7

Educationis consideratio in laude praecipuè et coniecturis copiosam materiā praebet. docet enim quomodo, quibus in locis, à quibus, & cum quibus fuerit educatus. Cic. in Antonium. Quî autem ti- Philip.2
bi uenit in mentem, redigere in memoriā nostrā, te domi P. Lentuli esse educatum? an uerebare, ne non putaremus natura te potuisse tam improbum euadere, nisi accessisset etiam disciplina? Te- Eunu.
rent. Educta ita uti te illaq; dignum est. Virg. Na- AEne.9
tos ad flumina primùm deferimus, saeuoq; gelu duramus & undis. Huc etiam referuntur sodalitia: nam ex illis arguitur qualis sit quisq;. Virg. He- AEne.6
ctoris hic magni fuerat comes, Hectora circum

Et

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta: Postquã illum uictor uita spoliauit Achilles, Dardanio AEneæ sese fortißimus heros Addiderat socium, non inferiora secutus.

Habitus hîc pro consuetudine siue confirmata
AEne.9 *exercitatione capitur. Virgil. Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant: Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu. At patiens operum par- uoq; assueta iuuentus, Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello. &c.*

Affectio est animi aut corporis ex tempore aliqua de causa commutatio. ut lætitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas.

Studia uocamus ad quæ quisq; natura propen
And. *sus est. Terent. Quod plerîq; omnes faciunt ado lescentuli, ut animum ad aliquod studium adiun- gant: aut equos alere, aut canes ad uenandum, aut ad philosophos: horum ille nihil egregiè præter cætera studebat, & tamen omnia hæc mediocri-*
AEne.9 *ter. Virg. Bellis assuetus Opheltes.*

Victus, in quo etiam uestitum intelligimus, spe- ctatur luxuriosus sit, an frugi, sordidus an splen-
And. *didus. Terent. Lana ac tela uictum quæritans. Ci-*
Pro Rosc. *cero. Qua in re prætereo illud, quod mihi maxi- mo argumẽto ad huius innocentiam esse poterat,*

in

in uictu arido, in hac horrida incultaq́; uita maleficia gigni non ſolere.

Bona animi ſunt uirtutes, quarum ſemper uera laus. Hic uidendum erit quid ſapiēter is quem laudes, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuſtè, quid magnificè, quid piè, quid gratè, quid humaniter, quid deniq; cum aliqua uirtute aut fecerit aut tulerit. Virgilius. Rex erat AEneas nobis: quo iuſtior alter Neque pietate fuit, nec bello maior & armis. AEne.1

Bona corporis, ut forma, ualetudo, uires, dignitas oris. Virgi. Filius huic iuxta Lauſus quo pulchrior alter Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. Idem. Reſtitit AEneas claraq́; in luce refulſit, Os humeroſq́; Deo ſimilis. AEne.7 AEne.1

Bona externa ſiue Fortunæ, ſunt opes, diuitiæ, liberi, coniuges, propinqui, amici. Atque hæc (inquit Comicus) perinde ſunt, ut illius animus qui ea poßidet: qui uti ſcit, ei bona: illi qui non utitur rectè, mala. Virg. Ditißimus agri. Heaut. AEne.1

Facta ſiue effecta, caſus, euentus, euenta, dicta, orationes, conſilia eodem tendunt, & tribus temporibus tractantur, ut quid fecerit, dixerit, quid illi acciderit: quid faciat, dicat, quid illi accidat: quid ſit facturus, aut dicturus,

quidue

quidue illi casurum. Huc referuntur oracula, miracula, præsagia quæ ante natiuitatem, uel in uita, uel post mortem aliquid nunciauerunt. ex hoc loco Cicero pro Marcello Cæsarem extollit: & aduersarios Antonium, Pisonem, Catilinam mirè dilacerat, cùm eorum antè actam uitam, dicta, facta, consilia latè prosequitur.

Mors etiam suam laudem aut uituperationem habet. Vir. Hoc tamẽ infelix miserã solabere mor-
AEne.10 tẽ: AEneæ magni dextra cadis. Huc referũtur decreta publica post mortẽ, statuæ, diuini honores.

Negotiorum quæstiones hæ ferè solent esse, magnum, periculosum, poßibile, facile, neceßariũ, utile, iustum, præclarum, honestum, & contrà. Hæ uerò quæstiones & si quæ sunt aliæ, his rerum attributis facilè probantur aut explicantur, persona, loco, modo, tempore, causis.

Persona hìc aliter quàm in superioribus consideratur, nam illic ut res subiecta, hìc ut attributum intelligitur. Terent. Non tã ipso quidẽ dono,
Eunu. quàm abs te datum esse, id uerò seriò triumphat.
Saty.11 Iuuenal. Atticus eximiè si cœnat, lautus habetur, Si Rutilus, demens. Terent. Nam si ego digna
Eunuc. hac contumelia sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.

Locus consideratur in quo res gesta sit, ex opportunitate quam uideatur aliquis habuisse ad negotium administrandum: eáque opportunitas quæritur ex magnitudine, interuallo, longinquitate, propinquitate, solitudine, celebritate, natura ipsius loci, & uicinitate totius regionis. Tum etiam quæritur, sacer ne sit, an prophanus, publicus, an priuatus, alienus an ipsius de quo agitur, desertus, an cultus, munitus, an neglectus, cãpestris, an montanus, siccus, an aquosus. Argumenta hinc sumuntur egregia ad affectus mouendos. Virg. AEne. 2
Ter circum Iliacos reptauerat Hectora muros.
Idem. Cùm uitam in syluis, inter deserta ferarum AEne. 3
lustra, domósq; traho. Idem. Et dulces moriens re AEne. 10
miniscitur Argos. Idem. Inter sacra deûm, noctur Geor. 4
naq; Orgia Bacchi discerptum latos iuuenẽ spar
sere per agros. Terent. Ex AEthiopia úsque est Eunuc.
hæc. Cic. Vt tibi necesse fuerit in conspectu popu= Philip. 2
li Romani uomere.

Tempus, ut præteritum, instans, futurum. In præterito eleuamus ea quæ propter uetustatem obsoleuerunt, ut incredibilia uideantur, & iam in fabularum numerum reponantur. aut laudamus iam diu gesta & à memoria nostra remota, quæ tamen fidem faciant, quòd uerè tradita sint: &

quæ nuper sunt gesta, quæ scire pleriq; poßint. In præsenti & futuro tractantur quæ maximè fiāt, ut quid serius, quid ocyus fiat, aut sit futurū. Item communia temporis cuiusq; sunt longinquitas, & breuitas, ut potueritne magnitudo aut multitudo negotiorum in eo transigi tempore. Tēporis partes sunt annus, mensis, dies, nox, hora, nunc, olim,
Philip.5. noctu, interdiu. &c. Cicero de Antonio. Ipse interea decem & septē dies (ut digestio potius, quàm declamatio uideretur) de me in Tyburtino Scipionis declamitauit. Mouētur & affectus ex hoc lo-
Geor.4 lo. Vir. Septē illū totos perhibent ex ordine menses rupe sub aëria deserti ad Strimonis undā fle-
AEnc.3 uisse. Idē. Tertia iam lunæ se cornua lumine cō-
AEnc.6 plēt, cùm uitā in syluis. &c. Idē de Palinuro naufrago. Tres Notus hybernas immensa per æquora noctes uexit me uiolētus aqua, uix lumine quarto prospexi Italiā. Huc refer occasionēm, quæ est pars tēporis, habēs in se alicuius rei idoneā faciēdi, aut nō faciēdi opportunitatē. ut ludi, dies festus, bellū, meßis, uindemia, calor, frigus, nuptiæ, sa-
Heaut. crificiū, funus, conuiuiū, somnus. Terēt. In tēpore ad eam ueni, quod rerum omnium est primū. Idē.
Adelph. Vt in ipso articulo oppreßit! & totus ille locus.
AEnc.4 Occasionē describit Virgilius in AEneæ et Didûs uena-

uenatione, ex illo loco. Venatũ AEneas, unáq; miserrima Dido. &c. et in ligatiõe Protei. 4. Geor.

Modus est in quo, quemadmodũ factũ aliquid sit, quærimus, ut prudenter, an imprudenter, clã, palã, dolo, manifestè, occultè. Vir. Nõ ego te uidi Damonis pessime caprũ excipere insidijs? Idẽ de crudelitate Mezentij: Mortua quinetiã iungebat corpora uiuis, Cõponẽs manibusq; manus, atq; ori bus ora (tormẽti genus) & sanie taboq; fluentes cõplexu in misero, lõga sic morte necabat. Idẽ de Polyphemo: Trunca manũ pinus regit et uestigia firmat, Lanigeræ comitãtur oues, ea sola uoluptas, Solamẽq; mali de collo fistula pẽdet. Cic. Facinus est uincere ciuẽ Romanũ, scelus uerberare, prope parricidiũ necare, quid dicã in crucẽ tollere? Eclog. 3 AEne. 8 AEne. 3 Verr. 7

Causa est ea quæ induxit ad factum cõmodorum spe, aut incõmodorum euitatione. Cumq; nihil sine causa fiat, magnus est usus huius argumenti: quare latiùs aliquanto locus explicabitur. Quæcunq; homines efficiunt (ut in rhetoricis ad Theodectem inquit Arist.) aut efficiũt per seipsos, aut non. si per se, aut ex consuetudine, aut propter appetitum: qui aut est rationis compos, aut expers rationis, huiusq; duæ sunt partes ira, et cupiditas. Rursus cùm per se homines nõ faciunt, duobus id Lib. 1

contingit modis, aut enim fortuna interueniente aut neceßitate, quæ aut externa ui, aut insita naturáque ipsa impellente homines ad efficiendum cogit. Septem igitur sunt causæ humanarum actionum. Mos, siue consuetudo: ratio, siue consilium: ira: cupiditas: fortuna: uis, seu neceßitas, seu uiolentia: natura.

Consuetudine facere homines dicuntur quæcunq; agunt, quia illa sæpenumero egerunt. Phormio apud Teren. Iam factum est periculum, iã pedum uisa est uia. Consuetudo est penè altera natura, ut testatur Euenus apud Arist. Vnde est illud uitæ utilißimum Pythagoræ præceptum: Optima uiuendi ratio est eligenda, eam iucundam consuetudo reddet.

Lib. 7. ca. 10. Ethic.

Consilium siue ratio est causa, quæ præmissa deliberatione rem efficit. Hæc potißima causa est, utpote quæ finem semper certum intueatur. Quare in rebus bonis laudem & præmiũ meretur, in malis pœnam & uituperationem. Hinc coniectamur qualis sit cuiusq; animus & uoluntas. Hinc exorditur Cicero Verrinas actiones, & Philippicas, & pro Rabirio perduell. Terẽ. Prudẽs, sciẽs, uiuus, uidensq; pereo. Cice. Prudens, & sciens ad interitum ruebam.

Eunu.
Pro Marcello.

Propter

Propter iram fieri dicuntur ea, quæ homines faciunt, ut pœnas infligant ijs à quibus sunt læsi. Virg. Furijs accensus & ira. Terent. Vix sum cõpos animi, ita ardeo iracundia. AEne.12 Adelph.

Cupiditate aut libidine facimus ea, quæ speciẽ præ se ferunt suauitatis, & aut iucunda sunt, aut uidentur. Virg. Impius ante aras, atque auri cæcus amore, Clam ferro incautum superat. Teren. Hanc tu mihi uel ui, uel clam, uel precariò fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modò. AEne.1 Eun.

Fortuna est causa inopinati euentus. Hæc causa nullum certum finem habet propositum: ideoq; semper cõsilio aduersatur. Vnde rectè Aristoteles in magnis Ethicis: Vbi plurimũ rationis ac intellectus, ibi fortunæ minimum: ac rursus ubi fortunæ plurimum, ibi minimum est intellectus. Cui consõnat Iuuenalis. lib.2.cap.8

Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te Saty.10
Nos facimus fortuna Deam cœloq; locamus.

Huc refertur & imprudẽtia: unde illa Ciceronis deprecatio: Ignosce pater, errauit, lapsus est, non putauit, si unquam post hac. Et paulò pòst: Errauit, temerè feci, pœnitet, ad clementiam tuam confugio, delicti ueniam peto, ut ignoscas oro. Pro Ligar.

Necessitas est cùm ui diuina, uel humana, uel

alia quauis externa cogimur ad effectũ. Diuina,
AEne.10 *ut illud Virgilij. Stat sua cuiq; dies: breue & irre*
Pro Ligar. *parabile tempus omnibus est uitæ.* Cice. *Ac mihi quidem, si propriũ & uerum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædã calamitas incidisse uidetur, & improuidas hominũ mẽtes occupauisse, ut nemo mirari debeat humana cõsilia diuina necessitate esse superata.* Huc pertinet exordiũ secũdæ Philippicæ: *Quónã meo fato. etc.* Humana necessitas, *ut metus minatæ mortis, aut fames, et eiusmodi*
AEne.12 *alia.* Vir. *Victus amore tui, cognato sãguine uictus coniugis et mœstæ lachrymis, uincla omnia rupi.*

Natura *fieri dicuntur ea, quorum causa in ipsis constituta est, ac certum quendam ordinem seruant, ut aut semper, aut plerumq; eodem pacto*
Lib.2.Sat.1 *fiant. Vt homines natura scire desiderãt.* Horat. *Castor gaudet equis, ouo prognatus eodem Pugnis: quot capitũ uiuũt, totidẽ studiorũ millia.*
Saty.5 Persius. *Mille hominum species & rerũ discolor usus, Velle suum cuiq; est, nec uoto uiuitur uno.*

Sunt & aliæ causæ, sine quibus effici aliquid non potest, ut materia, & instrumenta, sed naturã efficiendi non habent. à materia laudatur solis
Meta.2 *domus apud* Ouidium. *Instrumenta uidentur illa*
Adelph. *apud* Terentium. *Persuasit nox, amor, uinũ, adolescen-*

lescentia. Atq; hæc de attributis rerũ. In quibus si quis dubitet cur causas enumerauerimus, cùm potius ad personas spectare uideantur (præcipuè cũ iam in personæ attributis naturam posuerimus et fortunam, & consiliũ, et reliqua) respondeo aliud esse attributa enumerare in persona, seu illam ab attributis laudare, ut si dicas Cicero diues est, liber, prudens, iracũdus: aliud si dicas, quia diues est, aut liber, qui pollet consilio, et ardet iracũdia, hoc uel illud negotium peractum est. Itaq; rerum attributa personis adiunguntur tãquam subiectis, et contra personæ ipsæ (ut monuimus) cum suis attributis adhærent aliquando ipsis negotijs.

Sunt præterea alia argumentorũ genera quæ dicũtur sine arte, ut testimonia. Quæ personis & negotijs conueniunt. Testimonia uerò aut sunt diuina ut oracula, miracula, præsagia, diuina respõsa, deniq; quicquid ex sacra scriptura licebit allegare. Humana testimonia sunt leges, testes, pacta, tormenta, iusiurandum, præiudicia, rumores, tabulæ, prouerbia, sententiæ philosophorum, poëtarum, oratorum. & cùm iubemus contradicentem experiri. Terentius. Fac periculum in literis, fac in palæstra, in musicis. Hoc argumento Pythagorei omnem quæstionem confirmabant respõdere Eunu.

soliti:Ipse dixit.Ipse autem erat Pythagoras. Hactenus de argumentis ad quancunq; quæstionem probandam accommodatis egimus:nunc ad specialia transeamus.

DE INVENTIONE speciali.

IN quolibet genere causarum tres inueniuntur status siue cõstitutiones,an sit,quid sit,quale sit. Hoc est:cõiectura,finitio,qualitas.ut. Occidisti hominẽ:nõ occidi:hinc nascitur cõiectura,an occiderit. Sustulisti pecunias ex æde sacra,es igitur sacrilegus:sustuli quidem,sed priuatas: non sum sacrilegus,sed fur. Hinc surgit finitio,quid sit sacrilegiũ, quid furtum. Occidisti hominem. Occidi,sed latronem,iure igitur occidi. De qualitate hic agendum est an iure occiderit.

Sed ut planius hæc enodentur,intelligendũ est, ex intentione,& depulsione nasci quæstionẽ, siue constitutionem:ex ratione & firmamento, iudicationẽ,quam Græci crinomenon dicunt. Vt sit hæc intentio:Non iure occidisti matrẽ Orestes. Depulsio:Iure occidi. Hinc iam oritur quæstio, An iure occiderit. Sed nisi reus rationem afferat, nihil in

causa

causa controuersiæ relinquitur. Ratio igitur est: illa enim prius patrem meum interfecerat. Contra rationem adducitur ab aduersario firmamentum, quod & infirmatio rationis dicitur. sic: Non abste filio matrem indemnatam necari oportuit. Ex his liquet crinomenon: Iure ne Orestes in patris uindictam matrem interfecerit. Huc omnia sunt argumenta dirigenda. In causa uerò coniecturali, quia factum negatur, neq; ratio est neq; firmamentū, quare ex intentione & depulsione nascitur quæstio & iudicatio simul. ut, Occidisti, nō occidi, an occiderit est quæstio & iudicatio.

LOCI CONIECTVRAE.

Est igitur coniecturalis constitutio, cùm factū ne sit aliquid, aut fiat, aut futurū sit, quæritur. Huius constitutionis capita hæc enumerantur ab Hermogene: Præscriptio: petitio: uoluntas: potestas: comprehensio: absolutio: repulsio: transpositio criminis, siue color: inuersio: qualitas cōmunis.

Præscriptio, siue recusatio est locus quo totam causam à nobis reijcere conamur. Hæc si lege, aut firma consuetudine, aut iudicatis nititur: nō locus est, sed status integer, quem actionis siue trāslatio-

nis appellant. Præscriptio igitur fit quatuor modis. Primo, ab eo quod deficit. ut, prodigus quidã accusatur quòd patrem occiderit, quia pater nusquã apparet: petit prodigus ostendi an mortuus sit pater. Secũdo, ab eo quod excedit. ut decẽ iuuenes coniurarũt, ne uxores ducerẽt, malæ uitæ accusatur. Tertio, quòd nõ oportet propter aliorũ facta dãnari. ut, uir strenuus, cui hostes statuam erexerũt, proditionis accersitur. Quarto, à tempore, ut timidi cuiusdã filius uir strenuus in prælijs euasit, timidus uxorẽ adulterij reã agit: dicit mulier, multis trãsactis annis hoc crimine accusari nõ cõuenire. Cic. Quid ergo, cũ res agebatur, nemo in me dixit, id tot annis post tu es inuentus qui diceres?

Phil. 2

Petitio est cùm testes, aut signa petimus. Si sunt testes, eorum autoritatem per attributa personarũ eleuabimus. & signis, quæ corrũpi nõ possunt, credi oportere dicemus. Cice. Equidem uos abducam à testibus, neque huius iudicij ueritatẽ, quæ mutari nullo modo potest, in uoluntate testiũ collocari sinam, quæ facillimè effingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri potest. Argumentis agemus: signis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione pugnabit. Si non sunt testes, illos per circunstantias

Pro Cælio.

stantias petemus, et indignum dicemus quempiam sine teste damnari. Cic. Cui deniq; commisit? quo adiutore usus est? quo socio? quo conscio? cui tantũ facinus, cui se, cui salutẽ suam credidit? Si utrinq; sunt testes, aut signa: testibus testes, & signa signis opponemus. Huc quæstiones, præiudicia, rumores, tabulæ, iusiurandum accumulantur. Ibidem.

Voluntas quæritur ex uita, & causa: uita cuiusq; per attributa personarũ exquiritur. Causa est ea quæ induxit ad malè agendum commodorum spe, aut incommodorum euitatione. Expende rerum attributa, ubi de causis egimus.

Potestas, siue poßibile, cui etiam facile subijcimus, probatur per attributa personarũ, præcipuè à rebus externis uel fortunæ, ut opibus, diuitijs, amicis. Et per attributa rerũ, ut locũ, tẽpus, spatiũ, occasionẽ, spem perficiendi aut celãdi. Impunitas quoq; probat poßibile. Cice. Quid, quod caput audaciæ est, iudices, quis ignorat maximã ille cebrã esse peccandi impunitatis spẽ? Et ars. Virg. Nõ ignara mali miseris succurrere disco. Et quæ sunt penes nos. Vir. Sunt mihi bis septẽ præstãti corpore Nymphæ. Et quæ penes nostros. Teren. Tuus est nunc Chremes, facturum quæ uoles scio esse omnia. Et par, cùm ex re pari parẽ colligimus. Pro Mil. AEne. 1 AEne. 1 And.

AEne.10 mus. Virg. Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoste mortales: totidē nobis animæq; manusq;. Et minus: cùm ex minoribus maiora com=
Phor. monstrantur, idq; semper affirmādo. Terēt. Cuius tu fidem in pecunia perspexeris, uerere uerba ei
AEne.1 credere? Virg. O paßi grauiora, dabit Deus his quoq; finem. Et maius, cùm ex maioribus disputā=
Pro Mar= tur minora, sed negādo. Cic. Tantum abes à per=
cello. fectione maximorum operum, ut fundamenta,
Phor. quæ cogitas, nondum ieceris. Terent. Alios tuam
Phor. rem magis credidisti, quā te animaduersuros? Idē. Cùm hoc non possum, illud minus possem.

Comprehensio, siue ab initio ad finem est signū circunstantijs implicitum, per quod res arguitur certioribus argumētis, & quasi firma suspicione. Signa hæc ducūtur à multis personarum attributis, ut à natione, sexu, dignitate, à factis & dictis. Itē à loco, tempore, modo, causis. Terēt. hūc locum egregiè tractauit in Andr. in Scena quæ incipit:
Phil.3 Di boni, boni quid porto. Cic. His autoribus, & ducibus, dijs iuuantibus, nobis uigilātibus, & multū in posterū prouidentibus, populo Romano cō sentiente erimus profectò liberi breui tempore.

Absolutio est quando defensor licuisse sibi id facere ostendit, quo aduersarius utitur pro signo. ut qui=

ut quidam ſepeliens cadauer inuentus eſt: accuſatur: licere dicet hominem ſepelire. Terent. Quid fecì, quid commerui, aut peccaui pater? Quæ ſeſe uoluit in ignem inijcere prohibui, ſeruaui. And.

Repulſio ſemper abſolutioni cõtraria eſt, quare ſi accuſator illa: reus hac utetur, aut contrà. Tractari ſolet per inficiationem & obſiſtentiam. Inficiatio eſt abſolutionis plena negatio. ut non licet ſepelire. Obſiſtentia eſt cùm aliqua abſolutionis circunſtantia negatur, ut. Si licuiſſet, non tibi, aut iſto modo, aut loco, aut tempore.

Tranſpoſitio criminis ſiue color eſt quando id quod diximus, aut fecimus, alia nos cauſa dixiſſe aut feciſſe oſtendimus, & ueluti colore fucamus. Eſt autem locus cõtra comprehenſionem, confirmatur ab affectionibus, à dictis, à factis, ab ſcripto & ſententia, cùm quæ ſcripſimus, alio nos animo ſcripſiſſe contendimus. Cicero in Piſonem aliter uerſiculum illum (Cædant arma togæ) interpretatur, quàm uulgo ſolebat intelligi.

Inuerſio eſt quando te iiſdem defendis argumẽtis, quibus te configit aduerſarius. ut, ſepeliebas hominem in ſylua, interfeciſti igitur: imò ſi interfeciſſem, nõ eſſem occupatus in ſepeliẽdo. Martialis.

Egi, Sexte, tuam pactus duo millia cauſam:

Misisti nummos quot mihi? mille: quid est?
Narrasti nihil, inquis, & à te prodita causa est.
Tanto plus debes, Sexte, quòd erubui.

Hic locus semper inuertit comprehensionem, & adeò labefactat aduersarium, ut cùm eum soluere non bene poßit, ad prouidentiam diuinam confugiat, Deum scilicet ita uoluisse, ut tantum scelus non maneret impune, aut imprudẽtiam illius qui fecit, quòd timore, aut uino præpeditus, nequiret quod utile foret perpendere.

Qualitas communis est uelut epilogus confirmata suspicione. Qualitas dicitur quia auget peccati atrocitatẽ, uel cõquestione misericordiã captat. Cõmunis dicitur quia non solũ cõiecturæ sed omni conuenit quæstioni. & quia quæ in hũc uel illũ dicuntur, ad uniuersos eiusdem criminis reos accõmodari possunt. Percurre partes utilis, & honesti. Vtile est quod nõ sua ui & natura, sed propter aliquod emolumentũ & utilitatẽ expetitur. diducitur in partes octo. In bonorum adeptionem, incrementum, conseruationem, usum: malorum euitationem, liberationem, imminutionem, conuersionem. Qui loci secundùm Demosthenem duplicantur: si feceris cum octo locis, si non feceris cũ alijs octo. Cùm utile dico, necessarium etiã intelli-

Quintil. li. 5. cap. 10

intelligo cum Hermogene. Cap. de Prag. stat.

Honestũ est, quod sua ui & dignitate ad sese alliciat. Honestum siue uirtus quatuor habet partes: prudentiã, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. Prudentia est rerũ bonarũ & malarũ scientia, cuius partes sunt, memoria, intelligentia, prouidẽtia. Iustitia est habitus animi communi utilitate conseruata, suã cuiq; tribuẽs dignitatẽ. Omne autẽ ius aut est naturæ, aut consuetudinis, aut legũ. Natura ius est, quod nobis non opinio, sed quædã innata uis afferat, ut religionẽ, pietatem, gratiã, obseruantiam, ueritatem. Cic. Est enim hæc iudices nõ scripta, sed nata lex, quã non didicimus, accepimus, legimus: uerũ ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expreßimus: ad quã non docti, sed facti: nõ instituti, sed imbuti sumus: ut si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, in tela aut latronũ, aut inimicorũ incidißet: omnis honesta ratio esset expediẽdæ salutis. Pro Milo. Hæc lex naturalis dicitur alio nomine æquũ & bonũ, aut certè non multũ discrepat ab ea. Consuetudine ius est quod uoluntate omnium sine lege uetustas cõprobarit. ut pactum, par, iudicatũ. Pactum est, quod inter aliquos cõuenit, quod iã ita iustum putatur, ut iuri præstare dicatur. Par, quod inter omnes æquabile est. Iudicatum,

tum, de quo iam antè sentẽtia alicuius, aut aliquorum constitutum est. Lege ius est, quod in eo scripto, quod populo expositum est ut obseruet, continetur. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpeßio. Eius partes magnificentia, fidẽtia, patientia, perseuerãtia. Temperãtia, est rationis in libidinẽ, atq; in àlios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Eius partes sunt, cõtinẽtia, clemẽtia, modestia. Sũt præterea quædam quæ nec prorsus utilia, nec omnino dicuntur honesta: sed quia nos cum dignitate, tum quoque fructu suo ducant ad se, honesta quoq; dicuntur, quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Hæc ex secundo de inuentione Ciceronis duobus in locis, unde qui plura huc spectantia uoluerit, petito.

DE FINITIONIS STATV.

DIffinitiua constitutio est, qua id quod obijcitur, non esse hoc contendimus, aut cũ in scripto uel aliqua lege uerbum aliquod est positum cuius de ui quæritur. ut quæsitũ est in causa Mancini, sit ne senator qui hostibus deditus est, nec receptus. Huius status hos locos tradit Hermogenes:

Ci.1.Orat.

Expo=

Expositionem, finitionem, cõtrariam finitionem, ratiocinationẽ, intentionem legislatoris, amplificationem, comparationem, assumptionem aliquando, repulsionem, absolutionem, Qualitatem communem, intentionem personæ.

Expositio in hac parte idem ferè est quod in coniectura comprehensio. Ducamus exemplũ hoc per omnes locos. Tyranno persuasit orator, ut tyrannidẽ deponeret: præmium petit: contradicitur. Expositio est. Amore patriæ cõmotus, tyranni domũ adij, de tyrannidẽ deponenda, non sine capitis periculo uerba feci. Deposuit tyrannidem me impulsore, quod nõ fecisset, nisi ego illi persuasissem: præmium igitur interfecti tyranni iure peto.

Diffinitio propulsatoris est, contraq; expositionem adfertur. ut, non hoc est interficere tyrannum, quandoquidem tyrannus uiuit. Huc ferè semper accedit etymologia, quæ quodammodo est diffinitio, ut, interficere est confodere & uita priuare, tyrannus uiuit, non igitur est interfectus.

Contraria finitio. Tyrannidem amouere qui potuit, perinde fecit acsi tyrãnũ interfecerit: Idẽ enim est tyrãnidẽ amouere, et tyrãnũ interficere.

Ratiocinatio siue syllogismus, cùm ex positis non posita elicimus: utriusq; partis est. Vt. Quæ-

cunq; solēt euenire in libera ciuitate, ea omnia bona nunc euenêre mea causa, tyrānis cessat: respublica est liberata: in arce nullus est quē timeamus: Lætitia in urbe: iustè igitur præmium interfecti tyranni peto. Magna (inquit alter) est differentia, multa enim aliter sese haberent, ac nunc habent: qui enim tyrannum consilio interfecit, laudibus ornatur, triumphis decoratur, fortis & clarus habetur.

Sententia siue intentio legislatoris ab utraque parte exquiritur. Vt, Nihil aliud uoluit qui præmia tyrannicidis constituit, quàm ut leges liberæ permanerent, respublica sedata, libertas in ciuibus. Alter contrà: non ignorasse legislatorem multis modis posse tyrannum expelli, noluisse tamen præmia proponere nisi solis tyrānicidis: uoluisseq; tyrannum non impunitum abire.

Amplificatione rem magnam esse ostendet qui accusat: paruam qui defendet. à loco, tempore, persona, magnitudine, modo.

Comparatio est cùm multò maius aut minus ostendimus quod factum est, quàm quod aduersarij dicūt. Vt, Maius etiam atq; diuinius est sine cæde, sine sanguine, sine tumultu, & armis: quā turbatione, seditione, tumultu, & prælio remp. libera

re.

re. Alter contrà. Minus est abigere, quàm interfi-
cere. Hunc enim uiuum semper timeamus necesse est, ne suis rebus confirmatis nos opprimat, qui fortè nunc armis destitutus aut pecunijs persuasioni faciles aures præbuit.

Assumptio, quam Græci antithesin uocãt, unus est ex qualitatis statibus, ut dicemus, sed hic locus est qui per relationẽ, aut remotionem, aut cõparationẽ, aut concessionẽ rem expurgat. In petitione non inuenitur: in alijs causis sæpe: ut, quidam inuentũ cum uxore eunuchũ æquè ac mœchum interfecit. Accusatur, quòd eunuchus non possit esse adulter. Assumptio relatiua est, quòd dignus erat interfici. Explicabitur hic locus in qualitate.

Repulsio. At isto pacto tyrannum nõ debebas expellere, si bene de republica mereri cogitabas.

Absolutio. Hoc modo mihi uisum est & posse, & decére melius fieri quàm alio quouis.

Qualitas communis à persona sumitur, & per attributa personarum tractatur, ut in coniectura.

Intentio est cùm qua uoluntate id egerit, consideramus: excute attributa personarum.

DE STATV QVALITATIS.

CVm et facto et facti nomine cõcesso uis et natura & genus negotij ipsius quæritur: cõstitutionẽ generalẽ appellamus siue qualitatis. Qualitas ergo aut uersatur in scripto, diciturq́; status legalis: aut in re, & est rationalis: cuius duæ sunt partes: nam aut est de re præterita, aut futura. Si de re futura pragmaticus siue negotialis appellatur. Vt cõtentio inter Aiacem & Vlyssem de armis Achillis. Habet hæc capita. Legitimũ, æquum & bonum, utile, poßibile, laudabile, euenturo. de quibus in cõiectura, cũ egimus de potestate & qualitate, diximus. Si autem sit de re præterita dicitur iuridicialis: cuius duæ sunt partes, absoluta & assumptiua.

Metam. 13

Absolutus status est qui intra se continet iuris & iniuriæ quæstionem: aut quando reus nullam se uetitam rem fecisse confirmat. Vt, quidam filiũ abdicauit quòd philosophiæ operam daret. uel, Si Actius poëta iniuriarum ageret, quòd eum mimus quidam nominatim in actione appellauit. Huius status est causa Ciceronis pro Cornel. Balbo. Hæc constitutio his locis absoluitur: Expositione, partibus iuris de quibus in cõiectura, persona, diffinitione, ratiocinatione, intentione legislatoris, amplificatione, comparatione, absolutione, repulsione,

assum p-

aſſũptione, qualitate cõmuni, intentione perſonæ.

Aſſumptiuus ſtatus eſt in quo reus quidem rẽ turpem ſe feciſſe non negat, re tamen aſſumpta extranea iure factum defendit. Id *facit quatuor modis, relatione criminis, remotione criminis, cõparatione criminis, conceſſione criminis.*

R*elatio criminis eſt cùm in eum, qui paſſus eſt, culpam reijcimus, ut* O*reſtes in matrem.* Huius *ſtatus hi loci numerantur:* Expoſitio, *diffinitio, ratiocinatio, intentio legislatoris, ampliatio, cõprehenſio, intentio perſonæ, aſſumptio, repulſio, comparatio, qualitas communis.*

R*emotio criminis quando crimen transfertur nõ in eum qui paſſus eſt, ſed in alium, uel in aliud.* V*t in hac lege:* L*egatus intra decimum diem proficiſcatur.* Q*uidam cũ in legationem mitteretur, non profectus eſt intra præſcriptum diem.* A*ccuſatur.* I*pſe reijcit in quæſtorem culpam, qui pecunias non dederit.* I*n aliud cauſa dimouebitur ut in hoc eodem exemplo: ſi quæſtor mortuus eſſet, & idcirco pecunia legato non eſſet tributa.* H*uius ſtatus ijdem loci enumerantur, qui & præcedentis.*

Comparatio criminis eſt quando reus ſe feciſſe fatetur, contendit tamen (cùm alterutrum eſſet neceſſe facere) rectius feciſſe. V*t,* A*ulus* A*lbinus à*

Iugurtha obsessus, cùm effugere non posset, pactus cum Iugurtha est, ut impedimenta relinqueret, exercitumq; sub iugũ mitteret. Accusatur quòd læserit maiestatẽ. Loci sunt qui & superioris status.

Concessio criminis est, cùm reus causam in id transfert, quod in iudicium accersiri nullo modo potest: ut fatum, fortuna, necessitas, imprudentia. Talis est causa Ciceronis pro Rabirio Posthumo. Hic status diuiditur in purgationẽ & deprecationem. Purgatio tractatur ijsdem locis quibus relatio. Deprecatio autem quia sola in iudicium non uenit, aliter debet tractari. Locus erit deprecationi apud summum imperatorem, uel senatum, uel deniq; apud eum qui meram obtinet absoluẽdi potestatem. Talis est causa Ciceronis pro Ligario ad Cæsarem. Nec pro quibuslibet concessum est deprecari, sed pro uiro forti, aut pro eo cuius extent in remp. merita, aut in eos ipsos qui audiunt. Quòd si nulla eius extent merita, maiorũ uel affinium scrutabimur. Deprecationis hæc possunt esse capita: Extenuatio, qua eleuabimus quæ facta sunt, ne tã horrida uideantur, quàm aduersarij uolunt probare: uoluntas, de qua in coniectura: comparatio, cùm mala quæ fecimus cum meritis in remp. cõferimus: attributio, quæ ex attributis per-

sona-

ſonarũ elicitur, in quibus tuam & auditoris perſonã perſcrutaberis: quod facit Cicero pro Ligario dum Cæſaris miſericordiam laudat: euentus, ſi nihil periculi ex hoc facto futurum demonſtrabimus, ſed boni plurimum: commiſeratio, in qua per attributa rerum poteris auditorem commouere. Qui omnes loci ab aduerſario poſſunt inuerti. Aſſumptiui autem ſtatus mutuò ſeſe adiuuant, & in cauſa Milonis omnes inueniuntur. ut Milo Clodium interfecit. Relatio, Iure interfectus eſt ab eo cui necem parabat. Remotio, Iure occiſus quia patriæ uexator. Comparatio. Vtilior rei pub. eius mors quàm uita fuit. Conceſsio et deprecatio in epilogo inueniuntur orationis. Nunc ad ſtatus legitimos accedamus, quos Ciceronem & Hermogenem ſequuti ſub qualitate numeramus. Lib. 2. de Oratore.

Legitima conſtitutio eſt quæ de ſcripto uno uel pluribus naſcitur. Huius quatuor ſunt partes, Ambiguum: Scriptum & ſententia: Contrariæ leges: Ratiocinatio.

Ambiguũ eſt cũ ſcriptũ plures ſentẽtias ſignificat. ut in teſtamẽto quidã ſcripſit: Hæres meus det uxori meæ argẽti põdo cẽtũ quod elegerit. Quis debeat eligere, in dubium uertitur. In hoc genere utriq; parti dãtur præcepta cõia. Vterq; enim hãc Ex Cicer. partit.


 ſignifi=

significationem, qua utetur ipse, dignam scriptoris prudētia esse defendet. Vterq; id quod aduersarius ex ambiguè scripto intelligendū esse dicet aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cū cæteris scriptis uel aliorum, uel maximè, si poterit, eiusdem: quamq; defendit ipse, eam rē & sententiā quemuis prudentē & iustum hominem, si integrū daretur, scripturum fuisse, sed planius: eamq; sententiā quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut uitij: contrariā autem si probarit, fore ut multa uitia, stulta, iniqua, cōtraria cōsequātur.

Scriptum & sententia est quando alius uerba scripti, alius scriptoris mentē amplectitur. ut Lex *peregrinum uetat murum ascendere.* A*scēdit: hostes repulit.* A*ccusatur.* Q*ui scripto nitetur, cum re exposita, recitatione uti oportebit: deinde instare aduersario, iterare, renouare, interrogare nū aut scriptum neget, aut contra factum inficietur.* P*ost iudicem ad uim scripti uocet.* H*ac confirmatione usus, amplificet rem lege laudanda, audaciamq; confutet eius qui cùm palàm contrà fecerit, idq; fateatur, adsit tamen, factūq; defendat.* D*einde infirmet defensionē, cū aduersarius aliud uoluisse, aliud sensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat,*

Ex Partit.

dicat, non esse ferendum à quoquam potius latoris sensum, quàm à lege explicari. Cur ita scripserit, si ita non senserit. Cur cùm ea quæ planè scripta sint, neglexerit: quæ nunquam scripta sint proferat. Cur prudentißimos in scribendo uiros summæ stultitiæ putet esse damnandos. Quid impedierit scriptorem quo minus exciperet illud quod aduersarius, tanquam si exceptum esset, ita dicit se secutum. Vtetur exemplis ijs quibus idem scriptor: aut, si id non poterit, quibus alij quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio est, si qua poterit inueniri, quare nō sit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur, aut alia causa obtemperandi, alia abrogandi: dissentire aduersarij uocem, atq; legis. Deinde amplificandi causa, de conseruandis legibus, de periculo rerum publicarum atq; priuatarū, cum alijs locis, tū in perorando maximè grauiter erit uehementerq́; dicendum. Ille autem qui se sententia legis uoluntateq́; defendet, in consilio atq; in mente scriptoris, non in uerbis ac literis uim legis positā esse defendet: quodq́; nihil exceperit in lege, laudabit, ne diuerticula peccatis darentur, atq; ut ex facto cuiusq; iudex legis mētem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis



æquitas perturbetur, si uerbis legũ, ac non sententijs pareatur Deinde *genus eiusmodi caliiditatis & calumniæ retrahatur in odiũ iudicis, cũ quadam inuidiosa querela.* Et *si incidet imprudentiæ causa, quæ non ad delictũ, sed ad casum necessitatẽue pertineat, erit æquitatis sententijs cõtra acerbitatem uerborum deprecandum.* Cicero pro Cecinna *multa pro sententia contra literã disputat.*

Contrariæ leges sunt, quando in uno uel in pluribus scriptis ex aliqua circunstantia contradictio inuenitur. In *uno sic:* Rapta *raptoris aut mortẽ, aut indotatas nuptias petat.* Quidam *duas uirgines rapuit: quarum una coniugium, altera mortẽ optat.* In *pluribus hoc modo:* Lex, *filius meretricis orator ne sit:* Lex, *uir fortis optet quæ uolet: quidam meretricis filius euasit uir fortis, optat ut liceat sibi esse oratori.* Contrariæ *leges, uno excepto loco, idem sunt quod duplex scriptum & sententia.* Nã *semper est efficiendũ, ut alterius scripti sententiam, alterius uerba defendamus.* Ita *quæ modo de scripto sententiaq; præcepta sunt, eadem huc omnia transferamus.* Locum *uero quem huic cõstitutioni diximus peculiarẽ, Græci periéchon,* Latini *continentiã dicunt: & est locus quo diuersis quibusdam positis scriptis diligenter quid contineant,*

tineant, quidq́; contineatur, consideramus: hoc est, si possumus huiusmodi earum legum naturã osten dere, ut si una obseruatur, altera etiam simul obseruetur: & si de illa derogatur, de hac etiam derogetur. ut in proposito exemplo de illo qui duas uirgines rapuit: melius utriq; parti satisfieri dicemus, si occidatur, quã si illarũ alterã ducat uxorẽ. Considerabimus etiam utrũ una lex iubeat, altera permittat. Lex etiam inferior cedit superiori, ut humana diuinæ, generalis speciali, uetus nouæ.

Ratiocinatio est, cũ res, quæ sine propria lege uenit in iudiciũ, cuipiam legi accõmodatur. Lex, Tyrannicidæ præmiũ detur. Nõ occidit, sed expulit, aut persuasit ut abiret: par esse contendit quia reddidit libertatẽ. Qui patrẽ occiderit, culeo insuatur: matrẽ occidit. Lanas uehere Tarento non licet: oues uexit. Loci huius cõstitutionis uarij & multiplices sunt, quia cõiecturæ, finitionis, et qualitatis esse potest quæstio. Sed aliquot apponamus. Scripti laus, & confirmatio. Collatio rei de qua quæritur cũ ea de qua constat ut similes uideãtur. Quî fieri posit, dicet, ut qui hoc æquum esse cõcedat, illud neget, quod aut æquius, aut in eodẽ sit genere. Deinde iccirco de hac re nihil esse scriptũ, q, ex illa satis liqueret. Postea multis in legibus multa

esse

esse præterita, quæ idcirco præterita nemo arbitretur, quòd ex scriptis intelligi poßint. Deinde æquitas rei demonstranda est. Contrà uerò qui dicit, similitudinem infirmabit, ostendens illud diuersum esse genere, natura, ui, magnitudine, tempore, loco, persona, opinione. Periclitari dicet omnia iura, si similitudines accipiãtur, nihil esse penè quod nõ alteri simile esse uideatur. Hæc de inuẽtione. Quòd si quis præterea requirat, quomodo poßit inuenire affectus in quibus permouendis regnat orator, primũ cũ Cicerone respondebo totũ hunc locum philosophorũ esse proprium: deinde, nullã aliam artẽ esse inueniendorũ affectuũ, quàm quæ tradita est circa personarum & rerum attributa. Nunc ad secundam partem transeamus.

De Orat. 1 & 2

DE DISPOSITIONE.

Dispositio, est apta rerũ inuẽtarũ collocatio. Cuius duo sunt genera, argumentatio & methodus. Nam aut unũ disponimus argumentũ, aut plura. Argumẽtatio est unius argumenti cũ quæstione cõstans & firma collocatio. Vnde quæstio ipsa uera uel falsa iudicatur. Hæc est illa pars quæ propriè iudicium nominatur: iudicamus enim

de

de rebus omnibus argumentatione siue syllogismo. Argumentationum genera omnia facilè ad unum dialecticorum syllogismum referuntur. Sed quia rhetores miseris dialecticæ legibus non adstringuntur, aliter de syllogismo præcipiũt quàm dialectici. Argumentationis igitur quinq; sunt genera. Syllogismus, enthymema, dilemma, inductio, sorites, quibus addunt exemplũ, sed impropriè. nã exemplum argumentum est à pari, aut maiori, aut minori, non argumentatio. Epicherema aut generale nomen est ad omnem argumentationem, aut quoduis argumentum significat, quo aggredimur aduersarium.

1. *Syllogismus, siue collectio, siue ratiocinatio est argumentatio ex ipsa re probabile aliquid eliciens. Habet quinq; partes, propositionẽ, rationẽ, rationis confirmationem, expolitionem, conclusionẽ. Vt si uelis probare Ciceronis filium patris uirtutẽ sectari oportere. Propositio sumitur ex attributis, ut à genere, sic. In maiore natos familia maiori uirtute debere respondere consentaneum est. Ratio sumitur à circunstãtijs, ut à persona. Quid enim magis idoneum quàm Cicerone parente natũ, eloquentia Ciceronem exprimere? à re: Quid magis consentaneũ quàm filium in ea scientia laborare,*

borare, quæ patri peperit immortale decus? à lo=
co: Romæ præsertim, ubi summus eloquẽtiæ habe
tur honos. à tempore: Ea præsertim tẽpestate, cùm
maximè opus est eloquentia, ad depellenda mala
quæ in rempublicam grassantur. Confirmatio pe
titur à simili, exemplo, contrario, maiori, minori,
pari. ut, Scipio gloriam rei militaris cõsectabitur,
in qua sui maiores floruẽre: Cato proaui sui gra=
uitatem amplectetur: & Ciceronis filius eloquen=
tiã & uim dicendi aspernabitur? Expolitio, est
exemplorum cõparatio cum causa quã tuemur.
ut. Atqui Scipioni & Catoni singularis erat hone
stas, etiã si nulla uirtute floruissent, quòd in tanta
familia nati essent: Ciceronis filius si parenti non
respondeat, humi iacebit, quòd non uetustate gene
ris illustretur. Hîc poteris gloriã rei militaris cũ
eloquentia cõparare, et Scipionis laudi Ciceronis
laudem anteponere. Conclusio erit, in qua aut in=
feremus breuiter quæ uolumus: ut, consectanda igi
tur eloquentia filio Ciceronis. aut in breuitatẽ o=
mnes partes redigemus à capite rursus ducto prin
cipio. ut. Quare si hoc illustriũ imaginũ propriũ
est ut uirtutẽ exprimant maiorũ: si patri tuo sin=
gularem attulit laudem eloquentia: si magis hono
rificum erit tibi ad patris laudem animũ adijcere,
quàm

quàm Scipioni, aut Catoni: reliquum est iam ut omni studio tibi ad eloquentiam sit incumbendũ.

2 Enthymema unũ intellectum habet, quo omnia mente concepta significantur, alterũ quo sentẽtia cum ratione. Hora. Nil mortalibus arduũ est, Cœlũ ipsum petimus stultitia. Propriè tamen dicitur sententia quæ fit ex contrarijs. Hora. Vt iugulent homines surgũt de nocte latrones: ut teipsum serues nõ expergisceris? Cic. Quẽ igitur cũ omnium gratia noluit, hunc uoluit cum aliquorũ querela? Quem iure, quem loco, quem tẽpore, quem impunè non est ausus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, cũ periculo capitis non dubitauit occidere? Potest etiam tres habere partes, propositionẽ, conclusionẽ, & eius rationẽ. Cic. Quòd si XII. tabulæ nocturnũ furem quoquo modo, diurnũ autẽ, si se telo defenderit, interfici impunè uoluerũt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendũ putet: cùm uideat aliquando gladiũ nobis ad occidẽdum hominem ab ipsis porrigi legibus. Interdũ una tantũ assumptione, quã minorẽ uocãt dialectici, contenti sumus. ut si dubites, an hæc mulier diligat illũ puerũ: respondeo: est mater. quasi dicã. Omnes matres diligunt filios, hæc est mater, hæc ergo diligit filiũ. Et si dubites de fortitudine

Carm. 1

Epist. 1

Pro Milo.

Pro Milo.

Miseni.

AEne.6 Misceni,respondebit Virgilius:Hectoris hic magni
AEne.3 fuerat comes.Idem de Polyphemo.Trũca manus pinus regit,& uestigia firmat.

3. Dilemma siue complexio est argumẽtatio in
Philip.2 qua utrũ concesseris reprehenditur.Cic.Miserũ siue illa tibi nota non sunt,nihil enim boni nosti,
Heaut. siue sunt.Terẽt. Vel me monere hoc,uel percontari puta:Rectũ est,ego ut faciam:non,ut deterreã.sic enim dispungendus est locus,nusquã hactenus ab interpretibus explicatus. quasi dicat: aut hoc quod facis,rectũ est,aut non.si rectũ, ego idẽ faciã,si non est rectũ,ut te auellam et separem ab
Philip.5 huiusmodi opere. Cic.Hoc qui non uidet,excors: qui cũ uidet,decernit,impius. Dilemmati aliquãdo opponitur aliud dilemma quodGræci biæõ siue antistrephon appellant,Latini uiolationem.ut il-
lib.5. ca.10 lud apud Gellium de Prothagora & Euathlo.Dicebat enim Prothagoras:Si pronunciatũ erit cõtra te,debebis ex sententia:si secundũ te,ex pacto. Cui discipulus:Si iudices senserint pro me, nihil ex sententia:si contrà, nihil ex pacto debebo. Et Socrates non sinebat filium orare,dicens:Si iusta loqueris, hominibus eris inuisus:sin iniusta,Deis. Imò orationes oportet habere: Nam si iusta loquor,Dijs gratus ero:si iniusta, hominibus. Et si

quis

quis uelit suadere non esse timendam cœli asperitatem, ita disputet: si fuerit hyems, nõ æstuabimus: sin æstas, non algebimus. Imò maximè timenda cœli asperitas: nam si fuerit hyems, algebimus: si æstas, estuabimus. Hinc illud Biantis *cuidam adolescenti suadentis ne uxorem duceret:* Nam *si formosa est, habebis cõmunem: sin deformis, pœnam.* Cui *adolescens:* Imò *si formosam duxero, non habebo pœnam: sin deformem, nõn erit cõmunis.* Gell. ibl.5 cap.11

4 *Inductio fit, cùm plura exempla plurésue similitudines ad unum effectum congeruntur.* Græ*cè dicitur* Epagoge: *qua plurimùm* Socrates *utebatur.* Polyphemus *apud* Ouidium. Meta.13

Nec mea quòd duris horrent densissima setis
Corpora, turpe puta: turpis sine frondibus arbor:
Turpis equus, nisi colla iubæ flauentia uelent:
Pluma tegit uolucres: ouibus sua lana decori est:
Barba uiros, hirtæq; decent in corpore setæ.

Et AEneas *apud summum poëtam.* AEne.6

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus
Threicia fretus cithara, fidibusq; canoris:
Si fratrem Pollux *alterna morte redemit,*
Itq; reditq; uiam toties: quid Thesea? *magnum*
Quid memorem Alciden? *& mi genus ab* Ioue *summo.*

§ Sorites est syllogismus aceruualis, captiosum argumentandi genus, in quo ex uno cõcesso, ad multas conclusiones connexas descenditur. Cice. Iam
Fini.4 ille sorites, quo nihil putatis esse uitiosius: quod bonum sit, id esse optabile: quod optabile, id esse expetendum: quod expetendum, laudabile: laudabile autem omne honestum: igitur omne bonum honestũ.
Tusc.3 Idem. Præterea necesse est, qui fortis sit, eúndem esse magni animi: qui magni animi, inuictum: qui inuictus, eum humanas res despicere, atque infra se positas arbitrari: despicere autem nemo potest eas res, propter quas ægritudine affici potest: ex quo efficitur, fortem uirum ægritudine nunquam affici: omnes autẽ sapientes fortes: nõ cadit igitur in sapientem ægritudo. Themistocles itẽ Atheniẽsium dux filiũ Diophantum, quem in delicijs habebat, sic plurimũ posse colligebat: Athenienses dominantur Græcis: ego Atheniensibus: mihi uxor: uxori filius: ergo filius Græcorum omniũ est potentißimus. Horatius etiam captiosè argumẽtatur nihil interesse inter poëtas ueteres et nouos: Vtar
Epist.2 (inquit) permisso, caudæq; pilos ut equinæ Paulatim uello, & demo unum, demo etiam unũ: Dum cadat elusus ratione ruentis aceerui. Chrysippus multus fuit in hoc genere, unde quemadmodũ Socraticas

craticas inductiones: sic Chrysippeas soritas appellamus. Pers. Inuictus Chrysippe tui finitor acerui. *Saty. 6*

DE METHODO, SIVE *oratione.*

Methodus est multorum atque uariorum argumentorum dispositio: ea duplex est, altera doctrinæ, prudentiæ altera. Methodus doctrinæ est dispositio rerum uariarum ab uniuersis & generalibus principijs ad subiectas & singulares partes deductarum. Qualis ordo est huius nostri libelli: posuimus enim diffinitionem artis, deinde partes, & quid quæq; partes contineant. Quo in genere non omittendæ sunt transitiones, maximã enim perspicuitatẽ narrationibus solent afferre. Sic Virgilius cùm partitus esset opus Georgicôn in quatuor partes, prima exposita, subdit.
Hactenus aruorum cultus, & sidera cœli:
Nunc te Bacche canam. *Methodus prudentiæ pro conditione personarum, rerum, temporũ, locorum consilium disponendi suppeditat. Hinc fit ut oratores sæpè ex industria, quia docendæ sunt personæ, quæ doceri tamen nolunt, rerum partitiones detrahant: narrationes differant:*

refutationes præponant. Hinc illa obliqua principia, quas insinuationes uocamus. Nam Cicero in secunda Agraria. cùm ad euertendam populi causam accessisset, longa utitur, insinuatione, qua se maximè fingit popularem. & Terentiana Thais cùm uellet ab irato Phædria biduum ut militi cōcederet, impetrare: nulla huius rei mentione facta, longo sermone circunduxit adolescentis animum, donec omnia tuta existimauit, maxima etiā ex parte Phædria sibi conciliato: tum demum extremum posuit, quod natura & ordine doctrinæ erat primum. Hæc quæ de utraque methodo diximus, ne noua alicui appareant, Ciceronis uerbis repetamus. Is igitur secundo Oratorio sic loquentem inducit Antonium. Itaq; nunc illuc redeo Catule, in quo tu me paulò antè laudabas, ad ordinem collocationemq; rerum ac locorum: cuius ratio est duplex: altera quam affert natura causarum: altera, quæ oratorum iudicio & prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, pòst ut eam probemus nostris præsidijs confirmandis, contrarijs refutandis, deinde ut concludamus, atque ita peroremus: hoc dicendi genus natura ipsa præscribit. Vt uerò statuamus ea quæ probandi, docendi, persuadendi

dendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est uel maximè proprium oratoris prudentiæ. Multa *enim occurrunt argumenta, multa quæ in dicendo profutura uideantur: sed eorũ partim ita leuia sunt, ut contemnenda sint: partim etiam si quid habent adiumenti, sunt nonnunquam eiusmodi, ut insit in ijs aliquid uitij, nec tanti sit illud quod prodesse uideatur, ut cum aliquo malo coniungatur.* Q*uæ autem sunt utilia atque firma, si ea tamen (ut sæpè fit) ualde multa sunt: ea quæ ex his aut leuißima sunt, aut alijs grauioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atq; ex oratione remoueri.* Equidem *cùm colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo, quàm expendere.* Et *quoniam, quod sæpè iam dixi, tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo, aut conciliando, aut permouendo: enitendũ est, ut nihil aliud nisi docere uelle uideamur: reliquæ duæ partes, sicut sanguis in corporibus, in perpetuis orationibus fusæ esse debebunt.* Et *paulò inferius.* Hi*sce omnibus rebus consideratis, tum deniq; id quod primùm est dicendũ, postremò soleo cogitare, quo utar exordio.* Nam *si quando id primùm inuenire uolui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut uulgare,*

re, atque commune. Hiſce Ciceronis uerbis iam admonemur ut aliquid de partibus orationis diſputemus. Sunt autem quatuor: exordium, narratio, confirmatio ſiue confutatio, epilogus.

DE EXORDIO.

EXordium eſt oratio, quæ animum auditoris præparat ad audiẽdum: ſolet fieri aut palàm, aut latenter. Nam cùm cauſa honeſta ſiue probabilis eſt, recto exordio ſiue principio utimur: ſin autem turpis, aut auditor eſt perſuaſus, aut defeſſus, circuitione utimur, quam inſinuationem uocamus. Tria præſtanda ſunt in exordio ſiue inſinuatione, ut beneuolum, aut docilem, aut attẽtum reddamus auditorem.

Amicos & beneuolos facimus auditores à perſona, & a re ipſa. A perſona noſtra, ſi noſtrũ officiũ ſine arrogantia laudabimus: & quales in rem pub. aut eos ipſos qui audiũt fuerimus, oſtẽdemus: item ſi noſtra incommoda, ſolitudinem, inopiam, calamitatem proferemus. A perſona aduerſariorũ tribus modis, nã ſi potentes ſunt, in inuidiam: ſi abiecti & humiles, in contemptũ: ſi turpes & nocẽtes, in odiũ rapiemus. A perſona auditorũ, ſi res

eorum

eorum sine assentationis suspicione laudabimus. A re ipsa, si causam nostrã extollemus, & aduersariorũ deprimemus. Indigemus beneuolẽtia cũ turpis causa est, aut cũ aliqua turpitudine cõiuncta.

Docilem reddemus auditorẽ summam rei breuiter & dilucidè indicando. Docilitas igitur in causis obscuris locum habet.

Attentionem captabimus, si magna quædam proponemus, necessaria, noua, inaudita, ad religionem, aut ad eos ipsos qui audiunt, pertinentia. Et si rogabimus ut attentè audiamur. Cùm causa humilis est & abiecta maximè attentione captanda grandescit. Quod egregiè præstitit Virgilius de apibus dicturus. Hæc de exordio in genere iudiciali. Geor. 4

In genere demonstratiuo liberrima sunt procemia. Nam aut ab historia, fabula, prouerbio, sententia, simili: aut ab officio, loco, tempore, persona, à re denique ipsa exordiri licebit, ut fecit Cicero pro Marcello.

In genere suasorio sunt qui uelint nulla esse exordia, quia illi qui sunt audituri, sua sponte parati accedant. Sed quia est semper aliquid in omni re naturaliter primum, à persona, loco, tempore, & adiunctis commodè exordiemur.

DE NARRATIONE.

NArratio iudicialis est rei factæ uel tanquam factæ utilis ad persuadendum expositio. Ea debet esse breuis, dilucida, uerisimilis.

Breuitatem hîc appello uirtutem quandam in dicendo, quæ ornatu & elegãtia nõ careat, in qua nec redundat quicquam, nec desit. Quam uirtutẽ multi dum sequi conantur, specie recti decepti, fiũt obscuri, breuitatis præcepta ignorantes. Breuis erit igitur narratio, si nõ à primo principio repetetur: & si summatim, non particulatim narrabimus: si quæ nõ iuuant, prætermittemus: si ita uniuscuiusq; rei dicemus exitum, ut quæ præcesserunt, intelligãtur: si usque eo, quo opus fuerit, progrediemur: si nullis circuitionibus utemur, & si semel dicta non repetemus.

Dilucida erit, si rerum ac temporum ordinẽ seruabimus: si proprijs ac usitatis uerbis utemur: si breuitatis præcepta nõ aspernabimur: ac demũ si tota narratio rebus, personis, temporibus, locis, ac causis ita fuerit distincta, ut nihil confundat: hoc enim non solùm ad dilucidam, sed ad uerisimilem quoque pertinet narrationem.

Verisimilis siue probabilis erit, si ut natura rei,

rei, & mores hominum, ac opinio postulat, narrabimus: si causæ consiliorum, rerumq; rationes constabunt: ut nihil factum, nihil dictum sine causa putetur. Si falsum narrabimus, danda est opera, ut omnia cohæreant, iuxta prouerbium: Mendacem memorē esse oportet: sin uerum, nihilo secius diligentē operam adhibebimus, ut credamur: nam (ut inquit Fabius) sunt plurima uera quidem, sed parum credibilia: sicut falsa quoque frequenter uerisimilia. Lib. 4

In genere laudis tota ferè oratio nil aliud est quàm narratio. In hoc genere, nisi historiam scribas, poteris temporis ordinem non seruare.

In suasorio narrationes aut nullæ aut breues erunt. Nam cùm ad docendum sit inuenta narratio, hîc inutilis uideri poterit, quum auditores sint edocti.

DE CONFIRMATIONE ET, *confutatione.*

TOta spes uincendi ratioq; persuadendi posita est in confirmatione & confutatione. Vt igitur nostra confirmemus & aliena dissoluamus, huc referenda est tota illa materia de stati-

Orat. 2 *bus. Quo uerò ordine inuenta argumenta ſint col locanda, docet his uerbis Cicero. Res, inquit, hoc poſtulat, ut eorũ expectationi qui audiunt, quàm celerrimè ſuccurratur: cui ſi initio ſatisfactũ non ſit, multò plus ſit in reliqua cauſa laborandum. Malè enim ſe res habet, quæ non ſtatim, ut dici cœpta eſt, melior fieri uidetur. Ergo in oratione firmiſsimum quodq; ſit primum: dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea quæ æquè excellant, ſeruentur etiam ad perorandum: ſi quæ erunt me diocria (nam uitioſis nunquam eſſe oportet locũ) in mediam turbam atque in gregem cõijciantur.*

Laus ferè nullam habet confirmationem, quia certa non dubia in laude prædicantur: ſi tamen inerit aliqua, ex locis perſonarum & rerum erit petenda.

In ſuaſione confirmatio tota cauſa eſt, cùm poſ ſit exordio & narratione carere.

DE EPILOGO.

PEroratio, quam quidam cumulum, alij conclu ſionem, Græci epilogum uocant, diuiſa eſt in duas partes, enumerationem & amplificationem.

Enumeratio, quæ Græcè anacephalæoſis di= citur,

citur, non omnia minima repetet, ne ostentatio memoriæ uideatur, sed pondera ipsa rerum comprehendet.

Amplificatio est grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Hæc genere uerborum conficitur & rerum: uerba ponenda sunt, quæ uim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, grauia, plena, sonantia, & quæ in elocutione dicentur. Rerum amplificatio sumitur ex locis, ut causis, effectis, similibus, exemplis, contrarijs: fictæ etiam personæ, muta denique loquantur: omniáque sunt adhibenda, quæ natura uel usu apud homines habentur magna. Sed quod in hac parte primas obtinet, permotio affectuum est, quæ pars ab oratore bene tractata eloquentiam efficit admirabilem. Sed, ut multi affirmant, à philosophia pendet omnis. Socrates uerò negat posse arte tradi, sed diuino furore contingere. Nibilominus tamen pauca de affectibus dicamus. Affectus siue animi permotiones multi sunt: sed ad quatuor tantùm capita posse reduci, hac methodo colligamus. Boni uel mali opinione commouentur homines: si boni præsentis, uoluptas est: si mali, ægritudo: si boni futuri, cupiditas: si mali, metus. Rursus omnes In Ione.

omnes affectus aut sunt lenes aut concitati, illud genus Græci ethicon appellant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem uitæ consuetudinem accommodatum: hoc patheticon nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, uehemens, incensum, incitatum: quo causæ eripiuntur, quod cũ rapidè fertur, sustineri nullo pacto potest. Affectus, etiam si philosophorum sint, nõ aliunde quàm ex topicis trahuntur, ut à loco, tempore, persona, simili, contrario, sexu, ætate. &c. Sed regulam auream, quæ sit multarum instar, ad omnes affectus mouendos adhibeamus, quam deceptus memoria

lib.6. ca.2 *Quintilianus non aliquo tradente, sed experimẽto suo ac natura ipsa duce inuenisse se gloriatur: cùm à Cicerone multis uerbis, & ab Horatio in arte poëtica per multa carmina, & denique à*

Saty.1 *Persio sit repetitum præceptum hoc, ut si quem mouere uelimus, nos prius moueamur. Verba Ci*

Orat.2 *ceronis hæc sunt. Non me herculè unquam apud iudices, aut dolorem, aut misericordiam, aut inuidiam, aut odium excitare dicendo uolui, quin ipse in cõmouendis iudicibus ijs ipsis sensibus, ad quos illos adducere uellem, permouerer. Neque enim facilè est perficere ut irascatur cui tu uelis iudex, si tu ipse id lentè ferre uideare: neque ut oderit cũ*

quem

quem tu uelis, nisi teipsum flagrantem odio antè uiderit, neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui uerbis, sententijs, uoce, uultu, collachrymatione deniq; ostenderis. Hæc & *alia multa* Cicero *sub* Antonij *persona egregiè disputat.*

In genere demonstratiuo historici poëtæq; epilogo non utuntur: orator tamen ad confirmandã auditorum memoriam non inconcinnè cum aliqua delectatione utetur.

In suasorio præcipua totius orationis sunt repetenda, affectusq; mouendi, præcipueq; hîc est amplificandum, & in locos, quos communes uocant, excurrendũ: inducendæq; sunt prosopopœiæ quæ huius generis uidentur esse propriæ. de quibus in elocutione. De *qua priusquàm dicamus, pauca de memoria sunt libanda, quæ dispositione maximè adiuuatur, unde eam quidam dispositionis partem esse dixerunt.*

DE MEMORIA.

MEmoria *est firma animi rerum ac uerborũ dispositionis præceptio.* Rhetores *omnes qui de memoria præcipiunt, huc demum tendũt, ut ni-*

ut nihil ordine ac dispositione certa certius & fidelius esse credant. Quare qui methodo quæ scripserit, ordinarit: aut ab alijs scripta methodo ipse collegerit, facilè quæ uolet memoriæ mandabit. Nunc pauca ex Quintiliano subtexamus, qui plura uolet, ipsum adeat.

Memoria sicut alia omnia excolēdo augetur.

Plurimùm ualet diuisio & recta compositio, nam qui rectè diuiserit, nunquam in rerum ordine errare poterit.

Proderit & per partes ediscere: & hæ partes non sint perexiguæ.

Non erit inutile aliquas in margine apponere notulas, ut anchoram si de naui sit dicendum, spiculum si de prælio.

Iuuat plurimùm ijsdem quibus scripseris chartis ediscere.

Nox interposita plurimum habet firmitatis. Hæc ex Quintiliano. lib. 11. cap. 2

Nec audienda tantùm, sed uidenda etiam sunt quæ memoriæ mandare uelis: nam uisu magis quàm auditu excitantur animi.

Coriandri grana saccaro induta (confites uulgo dicunt) post cibum assumpta, fumos ascendentes prohibent, undè memoriæ conducunt.

Vuæ passæ, granulis priùs extractis, & per noctem unam in aqua uitæ maceratæ, maneq; in cibum sumptæ cum eadem aqua firmant egregiè memoriam.

Postremò nil unquam memoriæ mandes, quod non ad unguem intellexeris.

DE ELOCVTIONE.

ELocutio propria pars Oratoris est, quod & nomen ipsum indicat: non enim inuentor, aut cõpositor, aut actor hæc complexus est omnia, sed & Græcè ab eloquendo Rhetor, & Latinè Eloquens dictus est. Cæterarum enim rerum quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque uendicat: dicendi autem, id est eloquendi, maxima uis soli huic conceditur. Ex Orat.

Elocutio est orationis exornatio: cuius duæ sunt partes, Tropus, & Figura.

DE TROPIS.

TRopus est elocutio in singulis uerbis, qua propria significatio in aliã mutatur. Cumq; omnis mutatio propriæ significatiõis sit aut ex causis ad

ſis ad effecta, ſubiectis ad adiuncta, ex comparatis ad comparata : ex oppoſitis ad oppoſita: ex toto ad partem : aut contrà: quatuor tantùm exiſtunt genera troporum. Metonymia, Metaphora, Ironia, Synecdoche.

Metonymia eſt mutatio ſignificationis ex cauſis ad effecta, & ſubiectis ad adiuncta. & contrà. Hanc (*inquit Cicero in* Oratore) *hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur uerba pro uerbis: metonymiam grammatici uocant, quòd nomina trãſferantur. Primus eius modus eſt, cùm ex cauſis effecta ſignificamus.* Terent. *Sine Cerere &* Libero *friget Venus. ſic Mars pro bello, Vulcanus pro igne.* Itaq; *inuentor pro re iuuenta, aut cui præſidet ponitur: & materies pro materiato, nam materia cauſa eſt,* Vt. *ferrum pro gladio, pinus pro naui.* Virg. *AEre ciēre uiros, Martemq; accendere cantu.* (Eunu. / AEne.6) *Secundus modus poētis eſt familiarior, cùm ſignificare uolunt ex effectis cauſas.* Virg. *Pallenteſq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus.* Horatius. *Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regũq; turres.* (AEne.6 / Carm.1) *Tertius modus, cùm nomen proprium ſubiectæ rei ad ſignificandam rem adiunctam traducitur: ut continens pro contento.* Virg. *Illa inclyta* Roma *impe-* (AEne.6)

rium terris, animos æquabit Olympo. Sic Italia pro Italis, Sicilia pro Siculis, carcer pro uinctis. Sic etiam epotum calicem dicimus, & benè moratas urbes. Huc etiam pertinet cùm possessorē pro re possessa ponimus. Terent. Eamus ad me. Virg. Iam proximus ardet Vcalegon. Quartus modus, cùm ex adiunctis res subiectas intelligimus. Terent. Vbi ille scelus est qui me perdidit? Scelus, pro Scelesto. Ouid. Credula res amor est. i. amator. Virg. Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames? Sic dicimus quo non penetrat auaritia? Fides ualuit, Iustitia confecit. Quintus modus ex superioribus compositus, cùm adiunctū pro alio adiuncto sumitur, idq; non uno modo: nā sunt aliquando duo epitheta duobus subiectis adnexa, impropriè tamen, nisi suis subiectis restituantur. Virgil. Ibant obscuri, sola sub nocte per umbras. i. ibant soli, sub obscura nocte. Hic tropus Hypallage dicitur, quoties cōuerso rerum ordine aliquid dicimus. Capitur etiam adiunctum pro adiūcto per synonymiam, quādo duo nomina cōueniūt in una significatione, sed illorum alterū aliud præterea significat. ut sæuus & immanis idem significant, sed & immanis etiam significat ingens: ut immania templa. Cùm ergo sæuus pro ingenti sumitur,

Eunu.
AEne. 2
And.
Epist. 6
AEne. 3
AEne. 6

AEne.1 mitur, est metalepsis. Virg. Sæuus ubi AEacidæ
AEne.12 telo iacet Hector. Idem. Nec minus AEneas materni sæuus in armis. Sic dixit Idem numina læ-
Geor.4 ua, pro sinistra. Nam sinister à uerbo sino, pro-
AEne.2 sperum significat in augurijs. Et, Intonuit læuum. Ridiculum autem est quod affertur à commentatoribus quæ Dijs dextra sint, eadẽ nobis esse læua,
Odyss.1 aut contrà. Homerus, ut sæpè monet Plutarchus, plurimus est in metalepsi: uocat enim insulas uelo ces, cùm uelit acutas intelligere: quia acutum utramq; significationem complectitur. uerba Græ
Ilia.10 ca hoc melius declarant, Thoos, & Oxis. Idem ue
Odyss.12 locem appellat noctem, quòd umbra terræ sit acuta: authore eodem Plutarcho. Virgilius etiam tristes appellat lupinos. hoc est amaros. Nam amarus tristem etiam significat. ut hostis amare quid
Epodo.2 increpitas? Horat. Libet iacere modò sub antiqua ilice. antiqua. i. magna ac proinde umbrosa. Est enim hoc aliud metalepsis genus, quãdo gradatim
AEne.1 itur ad id quod erat propriũ. Vir. Speluncis abdi-
Buc.1 dit atris. i. profũdis. Idẽ. Post aliquot aristas. Nã per aristas spicas, per spicas messes, per messes æstates, per æstates annos intelligimus. Sic Cicero suas in Antonium orationes uocauit Philippicas.
Lib.13 Sic Martialis coracinũ piscem uocauit gloriã primam

mã gulæ Pellææ, cũ Alexãdrinæ uoluisset significa re: Alexander enim Pellæus Alexandriã condidit.

Metaphora siue translatio est mutatio significationis ex cõparatis ad cõparata: aut cùm ex simili simile significamus. ut parturiũt arbores, florescunt genæ, lux ingenij. Huius tropi genera uelle persequi superuacaneũ est, & infinitũ: nã tam latè patet genus hoc quàm genera naturæ. Nihil est enim (ut inquit Cic.) in rerũ natura, cuius nos nõ in alijs rebus poßimus uti uocabulo & nomine. Vnde enim simile duci potest (potest aũt ex omnibus) indidẽ uerbum unũ, quod similitudinẽ cõtinet, translatũ, lumẽ affert orationi. Hæc Cicero, qui ibidẽ latè metaphoræ uitia persequitur, quæ nos cõsultò relinquimus. Exẽplis etiã supsedemus, quia ita tritus omniũ linguis hic tropus est, ut nil ferè loquamur absq; trãslatione. Metaphora si duriuscula sit catachresis dicitur, non tamẽ alius tropus est, imò uerò omnis trópus rectè appellabitur catachresis. Cicero certè cũ Aristotele translationi subiungit. Virg. Instar montis equum diuina Palladis arte ædificant. Et cùm grãdem orationẽ pro magna, minutum animũ pro paruo dicimus. aut cũ pro uirtutibus uicina uitia ponimus: ut pro forti audacem, pro prodigo dicimus liberalẽ. Hũc

Orat. 3

Orator.

AEne. 2

modum metaphoræ Latini dixêre abusionē. Si metaphora multiplicētur, dicetur Allegoria siue inuersio, nec diuersum genus est à metaphora. Ho
Carm.1 rat. O nauis referēt in mare te noui fluctus? ô quid agis fortiter occupa portum. & totus ille locus, in quo nauis pro republica, portus pro pace, fluctus pro bellis ciuilibus accipiuntur. Allegoria perplexa & obscurior dicitur ænigma, quanuis possit esse ænigma sine tropo. Huiusmodi sunt Pythagoræ symbola: ignem gladio ne fodito: cor ne edito: hirundinem sub eodém tecto ne alas. Et illa
Eclo.3 Virgilij, Dic quibus in terris.

Ironia siue illusio siue simulatio est mutatio significationis ex oppositis ad opposita: quia aliud
And. quàm quod dicit intelligi uult. Terent. Ehodū bone uir. Cic. ô præclarum custodem ouiū (ut aiunt)
Phil.3 lupum. Hæc aliquādo multiplicatur, sed propterea non mutat genus, ut credit Quintilianus, qui
lib.9.cap.2 hunc modum inter figuras sententiarum collocat, adducto etiam simili contra seipsum: Quemadmodum (inquit) allegoriam facit continua metaphora, sic hoc Schema faciat troporum ille cōtextus. Itaq; continuata ironia tropus est, non figura, nā tres quatuórue homines non aliud faciunt animalis genus quàm unus, nec numero rerum genera,

sed

ſed natura ſunt diſtinguenda. Terent. Scio: cum patre altercaſti dudum, & is nunc propterea tibi ſuccenſet, neq; te quiuit hodie cogere illam ut duceres. Vir. Egregiam uerò laudem & ſpolia ampla refertis Tuq; puerq; tuus: magnum & memorabile nomẽ, Vna dolo diuûm ſi fœmina uicta duorum eſt. Mycteriſmus, Sarcaſmus, Aſteiſmus idem tropus, diuerſa nomina. Cice. Diſertiſſimum cognoui auum tuum, at te etiam apertiorem in dicendo: ille nunquam concionatus eſt nudus, tuum hominis ſimplicis pectus uidimus. And. AEne.4 Philip.2.

Synecdoche eſt mutatio ſignificationis ex toto ad partem, aut contrà. Cùm totum & partẽ dico, genus etiam & ſpeciem intelligo. Latinè conceptio ſiue intellectio dicitur. Fit quatuor modis. Primus cùm totum pro parte capitur. Virg. Priuſquam pabula guſtaſſent Troiæ, Xanthumq; bibiſſent. i. partem aliquam Xanthi fluuij. Secundus cùm pars pro toto. ut, tectum pro domo: puppis pro naui: mucro pro gladio. Tertius cùm genus pro ſpecie. ut, poëta pro Homero, ſeu Virgilio: Orator pro Cicerone: Priamides pro Hectore. Hic modus proprium habet nomen, dicitur enim Antonomaſia. Huc refer cùm numerũ pluralem pro ſingulari ponimus. Cice. Populo impo AEne.1 Ad Brut.

Saty.1 ſuimus,& oratores uiſi ſumus. Iuuenal. Et nos ergò manus ferulæ ſubduximus, Quartus cùm ſpe-
Saty.2 cies ponitur pro genere. Iuuena. Qui Curios ſimulant,& Bacchanalia uiuunt. Curios dixit pro bonis. Sic dicimus gramen pro herba: Neronē pro crudeli: Crœſum pro diuite: Mœcenatem pro patrono literarum. Huc refer ſingularem numerū pro plurali. Liuius. Romanus prælio uictor. Hor. Me peritus diſcet Hiber. i. Hiberi. Hæc de tropis.

Alij tropi enumerari ſolēt, ut hyperbole, periphraſis, Onomatopœia, antiphraſis. Sed hyperbole tropus nō eſt, ſed amplificationis genus, ut ocyor euro: leuior uentis: ſcopulis durior: in quibus tamen ſimilitudinibus ſi aliquando inerit metaphora, dicatur hyperbolica metaphora. Mar. Tu non uitioſus es, ſed uitiū. Periphraſis argumentum eſt ſub diffinitionem cadens, alio nomine deſcriptio dicitur, poteſt effici cum aliquo tropo, aut ſine illo. Onomatopœia id eſt, fictio nominis, ut ſybilus, mugitus, bombarda, quid ſimile habet cum tropo? Antiphraſis (ut uulgo intelligitur) nō ſolùm tropus non eſt: ſed nec aliquid quidē. Nullā enim dictionē adhuc potui reperire quæ per antiphra-
Orator. ſin dicatur. Nam bellum, autore Cicerone, ex duello factum eſt. Quintilianus ridet illos, qui lucum

ā non lucendo deducunt. Parcæ teste Varrone à partu dicūtur, quòd præsint partubus. Eumenides teste Suida, dictæ sunt furiæ ex tēpore quo mites & piæ à Pallade sunt redditæ in Orestis iudicio. testēq; citat AEschylū in Eumenidibus. Si tamen dictio hæc, antiphrasis, rectè intelligatur, ironiæ quædā est forma, qua cōtrariū ei quod dicimus significamus: ut autor est Plutarchus in Homerum. ut cū dicimus, nō malus author, pro bono. Virg. Munera nec sperno. Idē Nec mihi displiceat maculis insignis et albo. i. placebit. Sed ad figuras transeamus.

AEne. 7

Geor. 3

DE FIGVRIS SENtentiarum.

Figura est elocutio, qua oratio à uulgari cōsuetudine mutatur. Græci schema uocāt. i. habitū et quasi gestū orationis. Eius duo sunt genera: unū sententiæ, alterum uerbi seu dictionis. Figura sententiæ est in totius orationis comprehensione: & idcirco mutatis uerbis omnino retineri potest. Hoc enim Cicero discriminis esse dicit inter conformationes uerborū & sententiarū: quòd uerborū tollitur, si uerba mutaris: sentētiarū permanet, quibuscunq; uerbis uti uelis. Figuræ sentētiarum

Orat. 3

in quatuor genera distingui poßunt: primum in petitione aut responsione: secundũ in fictione: tertium in abruptione; quartum in amplificatione. Non quòd hæc genera sint Schemata, sed quòd in his quædam figurarum inter se sit communio. Primum igitur genus est aut in petitione, aut in responsione, aut in utraq; positum. Simplicis petitionis genera quatuor sunt: Optatio, deprecatio, addubitatio, & communicatio.

Philip.2 Optatio est uoti significatio. Cice. Vtinam aliquando dolor populi Ro. pariat, quod iã diu parturit. Virg. Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos. Et cùm imprecamur. Terent. Vt te quidem dij deæq; omnes cum istoc inuecto perduint. Et cũ salutamus. Virg. Salue fatis mihi debita tellus.

Eclo.9

Heaut.

AEne.7

Pro Rab. per. Deprecatio est apostrophe cum precibus. Cic. Ab Ioue Optimo Max. cæterisq; dijs immortalibus pacem ac ueniam peto. Et cùm inuocamus. Virg. Musa mihi causas memora. Nec solùm ad deos & homines refertur deprecatio, sed ad res alias. Cic. Vos enim Albani tumuli atq; luci, uos, inquam, imploro atq; obtestor, uosq; Albanorum obrutæ aræ sacrorũ populi Ro. sociæ & æquales.

AEne.1

Pro Mil.

Addubitatio est affectus soliciti & in consilij perturbatione hæsitantis. Hinc exorsus est Cicero

ro diuinam Philippicam: Quónam meo fato fieri dicam. Idem. Quid primùm quærar? aut unde potißimùm ordiar? aut quod: aut à quibus auxiliũ petam? deorúmne immortalium? Populíne Rom? uestrámne: qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pro Rosc. A.

Communicatio est cum alijs quædam consultatio: & præcipuè cum aduersario. Differt à superiore, quòd illic apud nos metipsos: hic cum alijs rationem inimus. Cice. Tu denique Labiene quid faceres tali in re, ac tempore? cùm ignauiæ ratio te in fugam atque latebras impelleret: improbitas & furor L. Saturnini in Capitolium arcesseret: consules ad patriæ salutem, ac libertatem uocarent: quam tandem authoritatem, aut quam uocẽ, cuius sectã sequi, cuius imperio parêre potißimũ uelles? Simplicis petitionis hæc sunt genera. In simplici responsione duo tantùm sunt: permißio & concessio. Pro Rab. Per.

Permißio in facti reiq; alicuius condonatione eleganter usurpatur. Cice. Licèt impunè per me parietes in adolescentia perfoderis, uicinos compilaris, matrem uerberaris, habeat hoc præmium tua indignitas, ut adolescentiæ turpitudo obscuritate & sordibus tuis obtegatur. Hæc figura sæpè In Vatin.

ab ironia petit ornatũ,quia cõtrarium eius quod
AEne.4 permittimus,intelligi aut fieri uolumus. Vir.I,ſe
quere Italiam uentis, pete regna per undas. Te=
Adelph. rẽ. Profundat,perdat,pereat,nihil ad me attinet.

Conceßio cùm id quod cõceditur ſtat à nobis,
Verr.7 aut certè nõ nocet,& aduerſariũ urget. Cice. Sit
ſacrilegus,ſit fur,ſit flagitiorũ omniũ uitiorumq;
ProLigar. princeps:at eſt bonus imperator. Idẽ. Habes igi=
tur,Tubero,quod eſt accuſatori maximè optan=
dũ,confitentem reũ.&c. Differt hæc figura à ſu
periore, quòd illa in factis:hæc in dictis & argu=
mẽtis eſt.cùm aliquid damus,quod alius ſibi cõce=
di poſtulat. Nũc in petitione & reſpõſione ſimul
figuras enumeremus,prolepſin & ſubiectionem.

Prolepſis eſt alicuius quæſtionis reſpõſio et an
Pro Roſc. tè occupatio. Spectatur plerũq; in proœmijs. Cic.
Amer. Credo ego uos,iudices,mirari quid ſit, quòd cùm
tot ſummi oratores, hominesq; nobilißimi ſedeãt,
ego potißimũ ſurrexerim,qui neq; ætate,neq; in=
genio,neq; autoritate ſim cũ ijs qui ſedeãt cõpa=
Act.I randus. Deinde ſubdit cauſas. Idẽ in Verrẽ. Si quis
ueſtrũ,iudices,aut eorum qui adſunt forte mira=
tur. Idẽ pro Cælio. Si quis fortè nũc adſit ignarus
legũ. Fit etiã in alijs partibus orationis. Idẽ in ea=
dẽ. Dicet aliquis:hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic
tu

tu instituis adolescentes? Ob hāc causam tibi hunc puerū parens cōmendauit & tradidit, ut in amore & uoluptatibus adolescentiam suā collocaret?

Subiectio est prompta & expedita redditio ad id quod proponitur. Cic. Quid enim tam commune quàm spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita uiuunt dum possunt, ut ducere animam de cœlo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant: ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremò eijciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Idem. Quòd benè cogitasti aliquādo, laudo: quòd non indicasti, gratias ego: quòd non fecisti, ignosco: uirum res illa quærebat. Idem. Vocat, ueniendum: poscit, dandum: eijcit, abeundum: minatur, extimescendum. Idem. Cur dixisti testimoniū in alios? Quia coactus. Cur damnati sunt? quia creditum est. Ex testimonijs citatis colliges hanc figurā dupliciter tractari: aut enim multa priùs enumeramus, deinde subijcimus: aut unicuiq; enumerationi suam subiectionem opponimus. Hæc de primo genere figuræ in petitione & responsione: nunc de secundo genere quod in fictione uersatur. Hæc autem fictio est aut personæ, aut rei: illa Prosopopœia, hæc Præteritio dicitur.

Ibidem.

Philip. 2

Parad.

Pro Syll.

Prosopopœia, siue sermocinatio est ficta personarum inductio, per quam res, cuiuscunq; generis sint, uocem & sermonem possunt accipere. Hæc aut recta est, aut obliqua. Recta est quando ficta persona uerba sibi data prosequitur. Obliqua uerò quando nos ea dicimus, quæ dici potuisse uideantur à persona ficta. Exempla rectæ prosopopœiæ sunt omnes orationes, quas personis tribuunt poëtæ aut oratores. Virg. dixitq; nouißima uerba:

AEne.4

Dulces exuuiæ dum fata, Deusq; sinebant,
Accipite hanc animã, meq; his exoluite curis.
Vixi: & què dederat cursum fortuna peregi,
Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

Deinde uno uerbo prosopopœiam conclusit: Dixit. Sic Cicero patriam inducit expostulantem cũ Catilina: Siciliam cum Verre. Tragœdiæ, Comœdiæ, Dialogi, & dialogismi in hoc genere sunt composita. In quibus seruari decorum maximè oportet, hoc est, ut ficta persona dicat, quod si uiua aut præsens adesset, diceret. Nam idcirco ab alijs Ethopœia dicitur, quòd mores alienos ad uiuum effingat. Huc etiam refertur Mimesis, quæ dicta tantùm aliena repræsentat. Quale est illud

Eunuc.

Phædriæ uocem Thaidis et uerba imitantis. At

ego

ego nesciebam quorsum tu ires: Paruola hinc ab=repta est, eduxit mater pro sua, soror est dicta: cupio abducere, ut reddam suis. Prosopopœia mirè uariat orationem. Nam illa aduersariorum cogitationes uelut secum loquẽtium protrahimus, quæ tamen à fide non abhorreant. Et nostros cũ alijs sermones & aliorum inter se credibiliter intro=ducimus. Et suadendo, obiurgando, querendo, lau=dãdo, miserando personas idoneas damus. Formas quoq; fingimus, ut Famam Virgilius: Voluptatem ac Virtutem Prodicus apud Xenophontẽ. AEne.4 Ob=liquæ prosopopœiæ exempla multa sunt in Cæsaris commentarijs, nunquam enim illic rectæ ponũtur conciones, sed quid potuit aliquis dixisse, obli=quo sermone describitur: quod propriũ historiæ est, ut asserit Trogus Põpeius, qui Liuium & Sal=lustium reprehendit, quòd conciones directas, pro sua oratione operi suo inserẽdo, historiæ modum excesserint. Iustinus. lib.38

Præteritio, seu prætermißio, Græcè Paralepsis, uel Apophasis, est cùm dicimus id quod fingimus uelle prætermittere. Cic. Nec ea dico, quæ si dicã, tamen infirmare non poßis, te antequam de Si=cilia decesseris, in gratiam redijsse cum Verre. &c. Idem. Mitto illam primam libidinis iniuriã: Verr.1 Pro Cluẽ.

mitto

mitto nefarias generi nuptias: mitto cupiditatē matris expulsam ex matrimonio filiam: &c. Virg.

AEne.10 Quid repetā exustas Erycino in litore classes?
Quid tempestatum regem, uentosq; furentes,
AEolia excitos? aut actam nubibus Irim?

Huc pertinent simulationes illæ quæ ad augendū id quod dicitur adhibentur, cū fingimus rē tantam esse, ut uerbis exprimi non poßit: aut longius tempus ad dicendū postulet. Cic. Dies iā me deficiet, si quæ dici in hanc sententiam possunt, coner expromere: de corruptelis, de adulterijs, de proteruitate, de sumptibus immensa oratio est. Virg.

Pro Cæl.

AEne.1 O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et uacet annales nostrorum audire laborum:
Antè diem clauso componet uesper olympo.

Sed iam tertium genus aggrediamur, quod in abruptione sermonis cernitur. Cuius quatuor sunt formæ. Digreßio, Auersio, Reticentia, Correctio.

Digreßio, est à re proposita in aliam, non tamen alienam prorsus, abruptio: quæ si longior est à Græcis Parecbasis dicitur: si breuis Parēthesis. Digreßio longior frequenter aliqua præfatione præmunitur, ne incōsiderati & imprudētes alias res agere uideamur: & cùm tota excursio facta est, sæpè adhibetur clausula, quæ reditum signifi-

cat

cat ad id unde egressa erat oratio. Cic. in Verrē, Act. 6
lōga & elegāti oratione Siciliā & Syracusas de
pingit. Sallustius in Iugurthino de Philænorum
aris non iniucundam texit narrationem, sed à do-
ctis reprehenditur, quòd nihil ad historiam. Pa-
renthesis exempla ubiq; occurrunt. Virg. Eclo. 9

Vare tuū nomē (superet modò Mantua nobis
Mantua uæ miseræ nimium uicina Cremonæ)
Cantantes sublimè ferent ad sidera cygni.

Auersio Græcè Apostrophe, est mutatio siue ab-
ruptio sermōis à recto & naturali cursu ad aliud
quippiam. ut ad Deum, cœlum, terram, homines,
solitudines, sidera, lucos, syluas, & ad seipsum.
Virg. Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt? AEnē. 4
Interdum uerò ad incertam personam nos con-
uertimus: ut Dido apud Virg. AEnē. 4

Exoriare aliquis nostris ex oßibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroq; sequare colonos.

Reticentia, Aposiopesis, est abruptio, qua pars
aliqua sentētiæ reticetur: et oratio quasi abrūpi-
tur. Terē. Egóne illā? quæ illum? quæ me? quæ nō? Eunu.
Vir. Quos ego. sed motos præstat. &c. Idem. AEnc. 1
Ecquis erit mecū iuuenes qui primus in hostem. AEnc. 9

Correctio est propositæ sententiæ reprehēsio
& emendatio. Cic. Italiam ornare, quàm domum
suam

suam maluit: quanquam Italia ornata domus ipsa mihi uidetur ornatior. Huc pertinet sui ipsius re-
AEnc.2 uocatio. Virg. *Sed quid ego hæc autem ne quicquã ingrata reuoluo? Quid ue moror?* Correctio etiam unius uerbi est, ut suo loco dicetur. Sed ad quartum genus trãnseamus, cùm res amplificantur. Cuius sunt tres formæ, Exclamatio, Sustentatio, Licentia.

Exclamatio, est orationis uehemẽtior elatio. Si-
Pro Milo. gnũ eius: ô, prô, heu, eheu, En. Cic. *O frustrà suscepti mei labores, ô spes fallaces, ô cogitationes ina-*
Phil.3 *nes meæ.* Interdum illudit. Cic. *O præclarum cu-*
ProLigar. *stodem.* Habet interim admirationem. Cic. *O clementiam admirabilem!* Admittit & commisera-
Eclo.1. tionem. Vir. *En quo discordia ciues Perduxit miseros, en quis conseuimus agros.* Huc deniq; referuntur acclamationes, Græcè Epiphonemata cũ
AEnc.1 his ferè signis: tantus, adeò, sic, usq; eo. Vir. *Tantæ*
Geor.2 *molis erat Romanam condere gentem.* Idem.
Epist.2 *Adeò in teneris consuescere multum est.* Horat. *Sic leue, sic paruum est animum quod laudis auarum Subruit, aut reficit.* Cic. *Vsq; eo illa quæ dicẽ-*
Orat.1 *da de iustitia putabat, à uitæ consuetudine, & à ciuitatum moribus abhorrebant.*

Sustentatio, est suspensio sententiæ quæ suspen-

dit

dit animos, ut aliquid maius aut minus obijciat inopinatũ. Plurimus est in hac figura Martialis: ut illud ad Pastorem. Lib.1

Credis ob hoc me, Pastor, opes fortasse rogare,
 Propter quod uulgus, crassaq; turba rogat:
Vt Setina meos consumat gleba ligones.
 Et sonet innumera compede Tuscus ager:
Vt Mauri Libycis centum stent dentibus orbes,
 Et crepet in nostris aurea lamna toris:
Nec labris nisi magna meis crystalla terantur,
 Et faciant nigras nostra falerna niues:
Vt Canusinatus nostro Syrus assere sudet;
 Et mea sit culto sella cliente frequens:
AEstuet ut nostro madidus conuiua ministro,
 Quem permutatum nec Ganymede uelim:
Vt lutulenta linat Tyrias mihi mula lacernas,
 Et Maßileum uirga gubernet equum.
Est nihil ex istis: superos, ac sidera testor.
 Ergo quid? ut donem, Pastor: & ædificem.

Dicitur hæc etiam figura Paradoxon, quia ferè semper præter opinionem concludit. Mart. lib.11

Mentitur, qui te uitiosum, Zoile, dixit.
 Non uitiosus homo es, Zoile: sed uitium.

Licentia, Parrhesia, est orationis libertas atq; fiducia liberius affectum mentis exprimens. Cice.

Pro Ligar. Quid aliud egimus, Tubero, nisi ut quod hic posste nos possemus. Hac sæpè figura utitur Cicero in prima & secunda Philippica. Hactenus de figuris sententiarum in quatuor genera diductarum: nunc ad uerborum figuras transeamus.

DE FIGVRIS VERborum.

FIguræ uerborum non spectantur in orationis sententia, sed in conformatione, & concinnitate uerbi unius, aut multorum: & idcirco mutatis uerbis figura non permanet. Diuidi possunt in tria genera, Repetitionem, Commutationem, & Numerum. Figuræ uerborum in repetitione decem sunt.

1 Epanaphora, Epibole, Anaphora, est cùm ab eodem principio ducitur sæpius oratio. Terē. Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia: primus porrò obnūtio: ægrè solus, si quid fit, fero. (Adelph.)

Vir. Te dulcis coniunx, te solo in littore secum, (Geor. 4)
Te ueniente die, te decedente canebat.

2 Antistrophe, Epiphora, Epistrophe, Conuersio, qua idem uerbum sæpius in fines conuertitur. Cic. Doletis tres exercitus populi Ro. interfectos? (Philip. 2) inter-

interfecit Antonius. Desideratis clarißimos ciues? eos quoq; eripuit nobis Antonius. Autoritas huius ordinis afflicta est? afflixit Antonius. Idem. In Vatin.
Quare cùm ego legem de ambitu tulerim, ex senatusconsulto tulerim, sine ui tulerim, saluis auspicijs tulerim, saluáq; lege Helia & Fusia, tu eã esse legem non putes? Mart. Lib.12

Capto tuam, pudet heu, sed capto, Maximè, cœnã,
Tu captas alias: iam sumus ergo pares.
Manè salutatum uenio: tu diceris isse
Ante salutatum: iam sumus ergo pares.
Sum comes ipse tuus, tumidiq; anteambulo regis,
Tu comes alterius: iam sumus ergo pares.
Esse sat est seruum: iam nolo uicarius esse.
Qui rex est, regem, Maximè, non habeat.

Cic. Hem Posthume, tu ne es Curij filius? C. Rabirij iudicio & uoluntate filius? natura sororis filius? Pro Rab. Pos.

3 Epanastrophe, Cœnotes, Symploce. Complexio. ex superioribus composita, quia ab anaphora incipit, & in antistrophen finit. Cice. Quis legem tulit? Rullus. quis maiorem populi partem suffragijs priuauit? Rullus. quis comitijs præfuit? idem Rullus. Idem. Quis eos postulauit? Appius. quis produxit? Appius. Agrar. 2 Pro Milo.

4 *Epizeuxis, est geminatio uerbi in eadem parte sententiæ. Hæc autem aut est continua: cùm uerba geminantur nullo medio.* Horat. *Ociues ciues, quærenda pecunia primùm est. Aut est disiuncta: cùm in eadem sententia geminantur uerba, sed aliqua dictione media.* Virg. *Maria undique, & undiq; cœlũ. Hæ quatuor enumeratæ figuræ sunt in eadem sententiæ parte: sex quæ sequuntur in diuersis sententijs conduplicantur.*

Epist.1

AEne.1

5 *Anadiplosis. repetitio uerbi in fine unius sententiæ, & alterius principio: estq;, ut superior, aut cõtinua aut disiuncta.* Virg. *Vos hæc facietis maxima* Gallo: Gallo, *cuius amor.* Idem. *Vare, tuum nomen, superet modò Mantua nobis, Mantua uæ miseræ.*

Eclo.10
Eclo.9

6 *Circulus cùm iisdem uerbis clauditur, quibus incipit oratio.* Virg. *Multa super* Priamo *rogitans: super* Hectore *multa.* Idem. *Ambo florentes ætatibus,* Arcades *ambo.* Vide Martialem *libro.9 circa finem ad* Iulium.

AEne.1
Eclo.7

7 *Epanalepsis, Resumptio, cùm post aliqua multa interposita, perspicuitatis gratia, resumimus quod in principio collocauimus.* Virg.

Eclo.8.

Talis amor Daphnin, *qualis cùm fessa iuuẽcũ*
Per nemora, atq; altos quærẽdo bucula lucos

Propter

Propter aquæ riuum uiridi procũbit in herba
Perdita:nec seræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat:nec sit mihi cura mederi.

8 Epanodos,quæ semel proposita iterat,Latinè regreßio. Ouid.in epist.

Demophoon, uentis & uerba & uela dedisti:
Vela queror reditu, uerba carere fide. Virg. AEne.2
Iphitus & Pelias mecum:quorũ Iphitus æuo
Iã grauior,Pelias et uulnere tardus Vlyßis. Idẽ. Eclo.7
Cõpulerãtq; greges Corydõ et Thyrsis in unũ
Thyrsis oues:Corydon distentas lacte capellas.

9 Ploce,traductio.cùm nullo ordine eadem uerba repetuntur.Horat.*Isne tibi melius suadet, qui ut rem facias,rem si poßis rectè,si non, quocunq; modo rem?* Epist.1 Vir.*Non erit auxilio nobis AEtolus, & Arpi:At Messapus erit.* AEne.11

10 Polysyndeton,coniunctionum repetitio siue multitudo.Virg.*Tectumq;,lareq;,Armaq;, Amycleumq; canem,Cressamq; pharetram.* Geor.3 *Hæc figura parùm aut nihil differt à superiore.Sed de figuris quæ fiunt per repetitionẽ hæc sint dicta:nũc de his quæ per commutationem fieri solent,dispu temus.Cernitur autem hæc commutatio in ordine,casu,& significatiõe.Ordinis figuræ duæ sunt: Climax,& Antimetabole.*

Climax, gradatio, est commutatio ordinis, in qua non antè ad consequens uerbum descenditur,
Pro Quin. *quàm ad superius cursum est, Cic. Si debuisset, petijsses statim: si non statim, paulò equidem pòst: si*
Pro Mil. *non paulò pòst, at aliquando. Idem. Nec uerò sepo pulo solùm, sed etiam senatui commisit: nec senatui modò, sed etiam publicis præsidijs & armis: neq; his tãtũ, sed eius potestati, cui senatus totã rẽp.*
Eclog. 2 *cõmisit. Virg. Torua leæna lupũ sequitur, lupus ipse capellã. etc. Sorites fit semper in hac figura.*

Antimetabole, commutatio siue inuersio sentẽ
Epist. 1 *tiæ, cùm uerba declinata repetũtur. Horat. Et mihi res, non me rebus submittere conor. Fortuna chara est arti, ars quoque fortunæ. Non ut edam uiuo: sed ut uiuam edo. In casus commutatione sunt tres figuræ.*

Polyptoton, cùm eiusdem nominis aut uerbi ca
Verr. 7 *sus uariantur. Cice. Certus locus, certa lex, certũ*
AEne. 4 *tribunal. Virg. Littora littoribus contraria, fluctibus undas Imprecor arma armis, pugnent ip-*
Eclo. 3 *siq; nepotes. Idem.*

Ab Ioue principium musæ: Iouis omnia plena:
Ille colit terras: illi mea carmina curæ.

Homœoptoton. similiter cadens, quando clausulæ finiuntur casibus similibus. Cùm casus dico,

non

non solùm de nominibus intell ;o, sed de reliquis etiam partibus orationis. Cic. Cum tristibus seuerè, cum remißis iucundè, cum senibus grauiter, cũ iuuentute comiter. Idem. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. Pro Cæl. Pro Marcello.

Homœoteleuton similiter desinens, quando sibi clausulæ consonando respondent. Cice. Quis in uoluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate auarior? quis in largitionibus effusior? In commutatione significationis duæ sunt figuræ Paronomasia & Correctio. Pro Cæl.

Paronomasia, id est nominatio, est mutatio in uerbum simile. Teren. Nam inceptio est amentiũ, haud amantium. Cic. En cur magister ex aratore arator factus est. Idem. Non modò uincere, uerùm etiam uincire oportet. And. Phil. 3 Arusp. R

Correctio commutatio est in uerbo, cùm ipsum reprehenditur. fit aũt duobus modis. nã si antequã efferatur, corrigitur: dicitur Prodiorthosis. Ter. De hinc postulo, siue æquũ est, te oro Daue. Cicc. Nõ iã leuitatis est, sed, ut quod sentio dicã, dementiæ. Aut fit cùm iã effatũ uerbũ est. Et dicitur Epanorthosis. Cic. O hominẽ fortunatũ, qui huiusmodi nuntios, uel potius pegasos habeat. Terẽt. Filiũ Phil. 5 Pro Quin. Heaut.

unicum adolescentulum habeo:ah,quid dixi habere me,imò habui. Retulimus hanc *figuram inter sententias,quia utriusq; partis est.Sed ad numeros transeamus.*

DE NVMERIS.

DE *repetitione & commutatione,& uno uerbo,de pleonasmo diximus, restat ut de tertia parte figuræ uerborum dicamus, quæ in numero, siue uerborum collocatione cernitur, per quam oratio suauiter,& modulatè componitur.*

Numerus *est modulata orationis compositio, quæ in incisis,membris,periodis spectatur.*

Incisum *siue* Comma,*est imperfecta sentētia, in octo syllabas propemodum excurrens, ut ait* Hermogenes:*siue ut inquit* Cicero,*in duos pedes*

Philip.1. *& semis.ut,Antequam de rep.dicam ea,*

Membrum siue colum est perfecta quidem sententia,sed aliò tamen relata:excurrens ad magnitudinem ferè carminis heroici.(Quòd si longius excedat,dicitur colum Schœnotenes, orationum procemijs & magniloquentiæ accommodatum) ut,Antequam de rep.dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror:

Perio=

Periodus, ambitus, circuitus, comprehensio, cõtinuatio, circunscriptio (his enim nominibus utitur Cicero) *est perfecta & absoluta sententia. ut,* Antequam *de rep.* P. C. *dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror: exponam uobis breuiter consiliũ & profectionis & reuersionis meæ.* Fit *autem periodus ex uno colo, quod Schœnotenes diximus appellari.* Cic. *Animaduerti, Iudices, omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes.* Item. *Depressam, cæcam, iacentem domum pluris quàm te, quàm fortunas tuas æstimasti.* Fit *ex duobus, & periodus dicolos dicitur. ut.* Non *is solùm gratus debet esse, qui accepit beneficium: uerùm etiam is, cui potestas accipiẽdi fuit.* Quòd *si duo membra sint inter se paria, Isocolos periodus dicitur, aut compar. ut.* Si *laus allicere nos ad rectè faciendum non potest: nec metus quidem à fœdissimis factis potest auocare.* Item. Nã *ut locus sine portu nauibus esse non potest tutus: sic animus sine fide stabilis amicis esse non potest.* Fit *etiam ex tribus membris, & tricolos dicitur. ut,* In *prælio mortem pater oppetebat: domi filius nuptias comparabat: hæc omnia graues casus administrabant.* Fit *deniq; ex quatuor, & tetracolos dicitur.* Cic. *Si quantum in agro locisq; desertis au*

Pro Cluẽt.

In Orat.

De prou. cons.

Pro Mil.

Pro Cecin.

dacia potest:tantum in foro atq; in iudicijs impudentia ualeret:non minus in causa cederet Cecinna Eubutij impudentiæ : quàm tum in ui facienda cessit audaciæ. Quòd si ultrà procedat, iam non periodus,nec circũscripta dicitur oratio,sed Pneuma.i.quantum uix uno spiritu pronuntiare possumus. Quale est initium pro Milone. Et si uereor Iudices.&c.Et Titi Liuij compositio. Periodis non utemur ubi acriter,instanter, & pugnaciter dicendum erit: sed incisis,aut membris.ut. Abijt,
Pro Cluē. excessit,erupit,euasit.Item.Vicit pudorem libido: timorem audacia:rationem amentia.

Numerus autem aut est naturalis,aut artificio sus:uterq; uerò aut poëticus aut oratorius.

Naturalis numerus est positus in aurium iudicio.Hinc illæ obseruationes uitandæ asperitatis literarum, ut,perterricrepas, & uersutiloquas, scabra rubigo. Hinc fugiuntur uocalium hiatus: ut.Ego omni officio ac potius pietate erga te,cæteris satisfacio omnibus. Hinc illa obseruatio legendorum uerborum pro subiecta materia. aliter enim sonat.(Tityre tu patulæ recubans sub tegmi
AEne. 4 ne fagi:)aliter,(Stat sonipes,ac fræna ferox spumantia mandit.)

Vides duos uersus,quorũ uterq; sex habet pedes,

des,uterq; clauditur eodem modo. sed in priore quater auditur.i.litera exilis. nusquã. o. plena litera.sæpè.e.tenuis.r.quæ est aspera tantũ bis,idq; cum.e.ut uix audiatur. Fugienda etiã sunt cacophata.ut cæca caligine.In uocabulis longioribus utendũ Syncopa.ut,Sestertiûm,nummûm,amassē. Sunt etiã quædã genera uerborũ (inquit Cicero) in quibus ipsis cõcinnitas inest:quæ siue casus habent in exitu similes,siue paribus paria reddunt, siue opponũtur cõtraria, suapte natura numerosa sunt,etiã si nihil est factũ de industria. In huius cõcinnitatis consectatione Gorgiã fuisse principẽ accepimus:quo de genere illa nostra sunt in Milo niana.Est enim hæc,Iudices,non scripta, sed nata lex:quã non didicimus,accepimus,legimus:uerùm ex natura ipsa arripuimus,hausimus,expreßimus, ad quã nõ docti,sed facti:nõ instituti,sed imbuti sumus.Idem paulò pòst.Semper hæc quæ Græci Antitheta nominant,cùm contrarijs opponuntur cõtraria,numerum oratorium neceßitate ipsa efficiunt,& eum sine industria. Hoc genere antiqui iam ante Isocratem delectabantur, & maximè Gorgias,cuius in oratione plerunq; efficit numerum ipsa concinnitas. Nos etiam in hoc genere frequentes,ut illa sunt in quarto accusationis.Cõferte

In Orat.

ferte hanc pacem cum illo bello: huius prætoris aduentum, cum illius imperatoris uictoria: huius cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: huius libidinis, cum illius continentia: ab illo qui cepit, conditas: ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas. Hæc ille de naturali numero: cuius discrimen aures metiuntur, quæ plena sentiunt, & parum expleta desiderant, asperis offenduntur, lenibus mulcentur, contortis excitãtur, stabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia & nimia fastidiunt, harum deniq; iudiciũ est

In Orat. (ut inquit Cicero) superbißimum. Hæc de numero naturali siue poëtico siue oratorio.

Artificiosus numerus constat ex pedibus. Pes est dimensio quantitatis, in duabus minimùm syllabis. Pedum alij dißyllabi, alij trisyllabi, alij tetrasyllabi.

Dißyllabi quatuor.	Pyrrhichius	∪∪	Deus
	Iambus	∪–	Parens
	Choreus	–∪	Solus
	Spondæus.	––	Verax.

Tri=

Trißyllabi octo	Tribrachys	∪∪∪	Dominus.
	Dactylus	-∪∪	Vnicus
	Anapæstus	∪∪-	Patiens
	Amphibrachys	∪-∪	Benignus
	Amphimacer	-∪-	Excitans
	Bacchius	∪--	Iacentes
	Palimbacchius	--∪	Solamen
	Molossus	---	Oppreßis.

Tetrasyllabi enumerantur. XVI. omnes tamen ex superioribus compositi. ex quibus sunt usitatiores.

Dichoreus	-∪-∪	Vitet iram
Peon primus	-∪∪∪	Viue pius
Peon quartus	∪∪∪-	Bona gerens
Dispondæus	----	Præsto mors est.

Hi pedes poëtici sunt & oratorij, sed de numero poëtico nihil hîc agemus (quanuis non alienus erat locus) quia diligenter hæc pars à multis est pertractata.

Oratorius numerus liberior & solutior est, nec eadem lege semper collocatis utitur pedibus, imò quantum potest à poëmatis similitudine refugit, cùm eius uoluptatem aucupetur. Itaq; si uitaueris

ueris in oratione uersum integrum,& in principio orationis principium carminis,itemq́;in clausula,clausulam:licebit efficias ex quibus libet pedibus numerum:dum ne semper ijsdem utare pedibus,quia uarietate mulcentur aures. In omni ergo periodo sunt initium,medium,clausula.

Principia quæ uacuas ingrediuntur aures,numero uacare non debent.Non enim potest placere quod statim quasi in uestibulo offendit. Hi pedes principijs solent esse aptiores.

Creticus,qui & Amphimacer. ut, Neminem uestrum ignorare arbitror.Malui deniq;.
Peon siue Pæan primus,ut.Qui beneficio uestro.
Dactylus.ut,Omnia prætcribo.
Anapæstus,qui et Antidactylus.ut,Patior iudices.
Molossus,ut.Dum quæ supra uires dicendi.

Media uerò quoniam surdius audiuntur,quàm uel prima uel extrema, paulò negligentius instrui solent.Sed omnia sic sunt temperanda : primo ne medium,medio ne discrepet imum. Medijs in partibus amplißimus est Pæan primus & quartus.

Extremus periodi finis,quæ propriè clausula dicitur,accuratam postulat diligentiam.Hîc enim quiescit,& exoptata numeri iucunditate recreatur auris.Et si quid in oratione uoluptatis est,domina

minatur in fine. Finem autem non solùm totius ambitus intelligas, sed etiam incisorum, & membrorum, quæ numerosè terminari iucundum est. Hæc tamen obseruatio nec maior sex aut ad summum septem syllabis esse debet, nec minor tribus. Hi pedes clausulis sunt accommodatiores.

Dichoreus adeò pulchrè cadit, ut hoc. C. Carbo concionem populi Rom. in clamorem excitarit. Et principes Asianorum rhetorum hoc pede ferè clauserint orationem: quod tamen, si sæpè fiat, improbat Cicero. Quia in orationis numero nihil tam uitiosum, quàm si semper est idem. ut In Orat.
Patris dictum sapiens temeritas filij cõprobauit. Et. Penè ab interitu uindicasti. Pœnas persolutas.

Creticus cum Dichoreo, ut. Impium semper existimaui. Nam ultima syllaba longa sit an breuis ne in uersu quidem refert.

Iambus cum Dichoreo. Virum cum uiro comparetis.

Dactylus & Dichoreus. Solatia seruitutis. Exteris gentibus imperare.

Spõdæus et Dichoreus. Accepti beneficij cõfeßionẽ Sedes collocare. Vtitur hoc sæpè Cicero.

Creticus & Spõdæus, siue (quod idẽ est) choreus et molossus. Retribuẽdi facultatẽ. Me potißimũ esse delectum.

delectum. Depellēdi criminis causa. Hæc clausula familiaris est Ciceroni.

Dichoreus, & Molossus. ut, Pleriq; minimè timē dum fuisse senserunt.

Dactylus et Molossus aliquādo. ut. Esse uidebatur.

Creticus solus, aut (quod idem est) Dactylus sæpè cadit. ut. Hæc scripsit diuinitus. Duplicatur interdum. ut. In communionem tuorum temporum contulit. Aliquando triplicatur. Facere enim probus adolescēs, periculosè, quàm turpiter ꝑpeti maluit.

Tribrachys cum spondæo plurimus & mollißimus est in clausulis. Diu multumq; Brute dubitaui. Omnibus fortasse uideatur. Hāc clausulam nō ualdè probat Quintilianus: at exemplorum multitudo apud Ciceronem aliud declarat.

Spōdæus iteratus grauitatis plenus est, præcipuè choreo uel Iambo præcurrente. In monumentis maiorum suorum sit interfectus. Etenim palàm dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. Sed etiam gloriam per tales uiros infringendam. Me consulem declarauit.

Tres spondæi aliquando. Victorijs illustratæ sunt. Pietatem testatiorem demonstrarem.

Dactylus & spondæus fugiendi ferè sunt, quia heroici carminis sunt clausulæ. A Cicerone tamen non

non semel apponuntur. Omnes in me meosq; re- dundant ex illo fonte dolores. Tamen uerbis exte nuabo. Hæc tanta uirtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, eijcietur? Si tamen hi pedes non suis integris dictionibus enuntientur, nihil fœda- bunt numerum. ut, Assequi non potuerunt. Creticus cum Dactylo usitatißimus est. Neq; ad consiliũ casus admittitur. Distractus à fratribus. Pæan primus cum Spondæo. ut. Ne tanti facino- ris immanitas, aut non stetisse, aut non uindicata esse uideatur. Pro Milo. Ibidem.

Spondæus, Molossus, & qui plures longas sor tiuntur, moram afferunt orationi. His tu proin- de & colis hexametro lõgioribus utare oportet, si grauitatem in oratione desideras.

Dactylus, Anapæstus, Tribrachys, & qui plu- res habent breues, celeritati sunt apti, quemadmo dum & incisa, atq; breuia membra.

Nec audiendi sunt, qui nullam in his numeris collocandis subeundam molestiam putant: quam homines doctißimi & in obseruando & in tradẽ do subierunt. Nihil enim (ut inquit Fabius) intra- re potest in affectum, quod in aure, uelut quodam uestibulo, statim offendit. Nec tibi rursus autor sum, ut in hac cura consenescas: sed ut hoc quic- lib. 9. ca. 4.

quid est artis, experiaris adolescens, & omnia trahas ad usum. Nã (quod in fidibus pulsandis solet accidere) exercitatione consequêris, ut aptè cadat oratio, & hanc numerandi molestiam relinquas.

DE PRONVNTIATIONE.

PRonũtiatio, est apta cõceptæ elocutionis enuntiatio. Nec enim alia pronuntiationis est doctrina, quàm elocutionis: nã qualis cogitatio fuit, talis est pronuntiatio. Eius duæ sunt partes: Vox, unde pronuntiatio: & gestus, unde actio dicitur. quarũ altera ad aures, altera ad oculos pertinet.

Ex Orat. Perf.

Ac uocis quidẽ bonitas optanda est, sed tractatio atq; usus est in nobis. Vocis mutatiões totidẽ sunt, quot animorũ, qui maximè uoce cõmouẽtur. Itaq; utcunq; se affectũ uideri uolet orator, & animum audientis moueri, ita certũ uocis adhibebit sonũ. Cõtenta igitur uoce atrociter dicet: & summissa leniter, inclinata grauiter, & inflexa dolẽter. In motu obseruabit, nihil ut supersit in gestu. Status erectus, et celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaq; rara: nulla mollitia ceruicũ, nullæ argutiæ digitorũ: non ad numerũ articulus cadẽs: trunco magis toto se ipse moderans, & uirili laterũ flexione: brachij proiectione in cõtentionibus

nibus,cõtractione in remißis. Vultus uerò,qui secundũ uocẽ plurimùm potest, quantã affert tum dignitatẽ,tum uenustatẽ!In quo cùm effeceris nequid ineptũ aut uultuosum sit, tum oculorum est quædã magna moderatio. Nã ut imago est animi uultus:sic indices oculi:quorũ & hilaritatis & uicißim tristitiæ modũ res ipsæ, de quibus agetur, tẽperabunt. Est deniq; actio quasi quædã corporis eloquentia. Hæc Cicero. Qui uerò plura uolet, adeat Quintilianũ uberrimè de actione disserentẽ. Motus uerò regula sit nobis semper fidus amicus:qui liberè uitia notet. In omnibus deniq; quæ ad actionẽ pertinent,doctorũ semper iudicio,sicut in rebus omnibus,erit adhærendũ. Illud præterea Crasso et Ciceroni maximè placuit,ut in exordio & initio dicẽdi cõmouerentur. Qui quãuis optimè dicerent, intelligebant nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia euentum dicẽdi procedere: proinde quod aliquando posset accidere,timebant,ne tunc accideret. Simul quia quoticscunq; dicimus,toties de nobis iudicatur. Deinde,uelut quandã impudentiã ostẽtat, qui cùm tã graue munus suscipiat,ut silẽtibus cũctis maximis de rebus sit audiendus,nõ saltẽ hac una recõmouetur,quòd adest ferè nemo,quin acutius atq; acrius

uitia in dicente, quàm recta uideat. Ita quicquid est in quo offenditur, id etiam illa quæ laudanda sunt obruit. Quare Cicero non solùm initijs dicendi aut re uera, aut studiosè commoueri solebat: sed id uerbis testificari, nō aspernabatur, ut pro Deiotaro. Cùm in omnibus causis grauioribus, C. Cæsar, initio dicendi cōmoueri soleam uehementius, quàm uidetur uel usus uel ætas mea postulare: tū in hac causa ita me multa perturbant, ut quantū mea fides studij mihi afferat ad salutē regis Deiotari defendendam, tantum facultatis timor detrahat. Homerus quoq; summum illum oratorem Vlyssem stetisse oculis in terram defixis, sceptroq; immoto, dicit: antequàm diuinam illam eloquentiæ procellam effunderet. Quod & Ouidius noster in eodem Vlysse est imitatus. Metamorphoseos. 13.

LAVS DEO.

FRANCI-ſci Sanctij Bro

CENSIS IN INCLYTA SAL-manticenſi Academia rhetorices pro-feſſoris de autoribus interpre-tandis, ſiue de exer-citatione.



Aioris eſſe ſemper credidi diligentiæ aliena ſcripta re-texere, quàm noua proprio Marte componere. Nam ut opus conficias nouum, ſi fa-uente natura, præcepta quæ traduntur à Rhetoribus ca-peſſas: facilis uia erit, facillimoq; negotio, quod ue-lis indipiſcêris. Hinc eſt, ut ſæpè uideamus quoſ-dam aut linguæ uolubilitate, aut ſcribendi dexteri-tate præpollere: quos ſi ad poëtam quempiam uel

oratorem explanandũ auocaueris: aut obmutescãt protinus, suam inscitiã confitentes, aut quod frequentius est, magno conatu magnas nugas effutiãt. Quare qui in cõponendo operam suam non spernit collocare: in retexẽdo aliorũ scripta oportet quoq; laborare. Hæc ratio ab Aristotele dicitur Analysis, qua spectare iubet operis iã confecti speciem, nũ ad regulas & legem omnia sint accõmodata, suisq; omnibus partibus absoluta. Analysis igitur officiũ est totũ opus, quod susceperit explicandum, à capite retexere: & primum quæstionẽ inuenire, hoc est, quid sit id de quo agatur. Deinde argumenta quibus id confirmatur, aspicere: & ad locos, unde sumpta sunt, referre. Postremò dispositionis leges animaduertere, in illaq; & argumentationes, & methodum considerare. Videreq; methodonè doctrinæ, an prudentiæ usus fuerit autor, cuius opus retexitur. Quæ omnia si enarratores librorum considerassent, non dubito quin sibi & alijs melius consuluissent. Sed ut hoc exemplis illustremus, aliquas Horatianas Odas excutiamus ex libro tertio, quem hoc anno meis auditoribus explicauĩ: ubi sæpè supinam interpretum negligentiam sum admiratus. Prima igitur Oda pro titulo habet: Varia esse hominum

ingenia

ingenia uariasq; fortunas. Quid hoc est, aut ubinam id canit Horatius? Longè alia Horatij mens est. Hac enim saluberrima Ode docet tutiorem esse uitam illorum, qui paruo contenti uiuunt, quàm diuitum & regum, quandoquidem omnibus moriendum est: neq; amplæ opes & diuitiæ poßint aut curas leuare, aut ægrotum animum sanare, aut somnum reducere. Hæc tamen omnia uita tenuis præstat. Hæc igitur est exoptanda. In secũda Ode tolerari poterat epigraphe. non tamen omnino sententiam assequitur poëtæ. Cùm potius id sentiat, quod alibi dixit: Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu. In tertia uerò, quàm aliena sunt quæ præponuntur, ab his quæ scripsit Horatius! Cùm in illa Oda Romuli sit apotheosis, qualem describit Herodianus in principio quarti. Quarta uerò: Musarũ amicos, docet, tutissimam uitã degere: curæq; Dijs esse: quod inductione probat. Cùm ad quintã uentũ est, fateor, risum non potui continere, cùm Augusti laudes, pro Epigraphe legi. Consului deinde cõmentaria. O Deus bone, quàm fœtidè, quàm pueriliter argumẽta eliciunt, Augustum maiorem esse Ioue, quandoquidem Iouem ex fama cognoscimus, Augustum uidemus præsentem. Cùm potius sit querela contra

Romanos,qui cùm ad decus & libertatem sint na ti:non erubescant captiui uiuere à patria procul. Incipit igitur Horatius ab indignatione: Neque credimus Iouem in cœlis regnare: nec Augustus mortalis habetur Deus, & urbis custos: quando hæc flagitia committuntur, ut miles Romanus Persis seruiat, & Carthaginensibus. Sed omnia uelle persequi longum est,omnia enim sunt eiusmodi. Quare inspiciẽda methodus est:in qua semper Horatius ita fallit auditorem:ut nisi Lynceis contemplere oculis,credas illum centum proposita in satyra una urgere: cùm simplex & unum sit,quod unaquæq; satyra uel epistola contineat. Experiamur id in Arte poëtica,ad cuius expeditionem cùm plures quàm ad uellus aureum properarint, nullus tamen quid auri lateat hactenus demonstrauit,sed lanam externam, eamq; caprinam,pro aureo uellere omnes ostentant. Paucis igitur præceptis perfectum poëtam nobis describit Horatius,quæ ordine optimo sunt collocata.

PRIMVM PRAECEPTVM DE *fine & scopo quem intueri debet poëta.*

Sit quod uis scribere simplex duntaxat & unũ. At dicat aliquis:Poëtæ his legibus non astringuntur:

guntur:liberi enim sunt,quemadmodum & picto res.Falleris,inquit,si ista simpliciter accipis.Quis enim non irrideat pictorem illum, qui cùm uirginem pingere destinarit,pulchram ei faciem tribuat,collum equinum,uarijsq; plumis obtegat,pictura deniq; in atrum piscem desinat?Eodem igitur pacto poësis reprehenditur, cuius uanæ fingentur species ut,nec pes,nec caput uni reddatur formæ.Quid igitur,dices, habet simile poësis cũ pictura?aut undę prouerbium emanauit, Liberi poëtæ & pictores?Dicam,si potero,paucis. Accedit aliquis ad pictorem petens ut in tabella Venerem formosissimam depingat.Num pictor utetur illa sua libertate?& Venerem monoculam effinget,barbatam,obequitãtem, manibus hastam tenẽtem? Minimè,inquis,sed ei reddet illam formam quæ maximè Venerem deceat. Rectè sanè iudicas.nec hîc aliqua pictoris erit libertas:sed in his, qui in tabula sunt loci uacui circa Venerem.Nam in illis concessum est pictori,auiculas,flores,arbores,flumina pro arbitrio depingere, neque uitio uertetur illi,si multi uarijq; generis flores ex una radice pullulent(quanquam natura semper est intuenda)Sic poëta si Achillem cantandum suscipiat,nulla utetur licentia artis,ut nunc timidum,

nunc fortè describat: aliàs pium, rursus deorũ contemptorem: sed semper idem erit, qualẽ fuisse accepimus. Dũ tamen huius egregia facta poëta cõcinit: pro libito lucũ describet, uel flumen, & Dianæ aram uel pluuium arcum. Atq; etiam hæc cum moderamine certaq; lege: non enim semper his locus est: nam qui non debito loco mihi lucum describit, aut sæpè id facit, suspicionem ingenerat, nihil illũ melius scire: quemadmodum iners ille pictor, qui ubiq; cupreßũ appingebat, etiã in naufragijs. Quare danda opera est, ut id quod aggredimur, sit unũ, eodẽq; tenore procedat. Ineptũ enim figulum iudicabimus, qui amphoram ceperit instituere, urceolumq; ex suscepta massa confecerit.

SECVNDVM PRAECEPTVM.
Sine arte non posse opus procedere.

ITa uitia sunt coniuncta uirtutibus, ut fallãt oculatißimos quosq;, nisi arte discernãtur. Id probat inductione. Breuitas uirtus est eximia in oratione, ut scripsimus cap. de narratione. Hanc uerò dũ sequi cupio, in uitiũ obscuritatis delabor. Præterea, tres sunt scribendi characteres, teste Cicerone. Nã tenuis & gracilis est stylus, acutus, omnia docens,

Ex Orat. Perf.

docens, nõ amplificãs, subtili quadã & pressa oratione limatus: hũc qui uolũt sectari, ita sese extenuãt, ut sine neruis, sine animis poëmata componãt. Est & alius stylus plenus, cũ ampla & sententiarũ grauitate & maiestate uerborũ, uehemens, uarius, copiosus, grauis, ad permouendos & cõuertendos animos instructus: hunc qui affectãt, si arte carẽãt, pro grauibus & grãdiloquis, turgidi & inflati fiunt. ut. Torua Mimalloneis implerũt cornua bõbis. Ille enim stylus turgidus & inflatus est, nõ sublimis. Est & alius stylus interiectus inter medius, & quasi temperatus ex utroque, uicinus amborũ, utriusq; particeps, uel potius expers, uno tenore in dicendo fluẽs, ornamẽtis modicis uerborũ sententiarumq; orationẽ picturans. In quo Virgilius excelluit in Georgicis. Hũc uocat Horatius tutũ nimium, timidumq; procellæ, ducta metaphora à nauigãtibus iuxta litus, qui nec terrã contingunt, nec procellas ingentes perhorrescũt. Sed ita oportet attẽperare cursum, ne repat nauis: quandoquidẽ iuxta litus non ita profunda est aqua, ut nõ immineat naui periculũ. Ita poëta qui hãc uirtutem indipisci cupit, nec tenet modum, repit & iacet, & indignus est qui legatur. Varietas insuper uirtus maxima est in poësi, solet enim animos

animos mirum in modum allicere: sed hanc comitatur uitium uel maximum: Nam *qui cupiunt uariare rem aliquam, nulla lege aut arte id facientes, portentosè delphinũ syluis appingunt, fluctibus aprum, credentes hanc esse ueram uarietatẽ.* De*niq; dum uitiũ fugimus stulti, in uitiũ incidimus.* Ne*q; satis est artem in una alteráue parte callere, cum tot poëtæ sint necessaria: nã infelix ille faber est, qui capillos & ungues ad amusim exprimit, si totam statuam nescit partibus suis adaptare.* Nec *ille formosus est, qui nigros oculos nigrumq; capillum est sortitus, si tamen deformis nasus totam oculorum præstantiam deturpat.* Molles *capillos dixit cùm de ære loquatur, id est, aptos & ad uiuum depictos.* Sic Virg.

AEne.6 *Excudent alij spirantia mollius æra.* Idem

Eclo.3 *Et molli circum est ansas amplexus acantho.*

TERTIVM PRAECEPTVM
De collocatione rerum & uerborum.

SVmite *materiam.&c.* Optima *dispositione nihil pulchrius.* Huic *igitur incũbat poëta: obseruetq; qua methodo sit disponenda materies: diximus*

mus esse methodum prudentiæ, atq; doctrinæ. Horatius prudentiæ ordinem in poëtis probat. Non enim ut quæq; natura prima sunt, ita primùm narranda: sed dicenda primùm, quæ primò dici postulant: pleraq; differenda & in præsens tempus seruanda. præsens tempus uocat propriùm, & cõmodam opportunitatem: quædam uerò retinenda & amanda: quædam omnino repellenda. Si quæras quomodo tantam rem assequaris, accipe præceptum. Sumite materiã uestris qui scribitis æquã Viribus, & uersate diu quid ferre recusent, Quid ualeant humeri: nam qui rem de qua dicturus est bene legerit. id est selegerit, & perpenderit, neq; methodo & ordine lucido destituetur, neq; etiam facundia. Omnis autem oratio (ut cum Quintiliano loquar) constat aut ex his quæ significantur, aut ex his quæ significant, id est, rebus & uerbis. lib. 3. ca. 5
Quare Horatius hoc in loco de collocatione simul & inuentione uerborum disserit: In uerbis etiam tenuis. &c. Quasi dicat in uerbis collocandis memor esto prouerbij, Communia nouè, noua communiter. Nam si ex uerbis tritis & obuijs cuilibet tuã telam texueris, & in collocatione aliquid ingenij ostenderis, nouus & nitidus apparebis. exempla non longè petantur, nam ipse apposuit

ſuit Horatius, cùm iuncturam appellat callidam. Callidum enim, cùm de homine dicatur, nouè tribuit iuncturæ. Nouè item ex uerbis tritis dixit
AEne.8 Virgilius. Et pontem indignatus Araxes. Hic nullum nomen nouum eſt: cùm iũctura ſit noua & pulcherrima.
AEne.7 pulcherrima. Idem. Ferrúmque armare ueneno.
Liui. Dec.3 Lib.9. Et Dec.4. li.1 Addit etiam Horatius licere nouis rebus noua nomina inuenire. M. Cornelius Cethegus Annibalis temporibus conſul fuit. G. Cornelius Cethegus annis octo pòſt creatus conſul & in Hiſpaniam miſſus. XV. millia Hiſpanorum uno prælio cecidit. Hi igitur Cethegi (ut coniectari par eſt) non togati more Romanorum obambulabant, ſed ueſte militari (quæ cinctus dicitur) induti. Quare Horatius nouum morem nouo uocabulo nominauit: appellauitq́; cinctutos. Sed prudẽter (inquit) hac utamur licentia. i. ſemper cum aliqua præfatione tẽperetur. qualis eſt: ut ita dicã: ut ſic loquar: liceat
In Orat. ſic nominare. Cic. Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt. Et noua fictaq́;. Etiam aliquãdo: inquit, nulla cogente neceßitate uerba poteris effingere, non tamen pro libito, ſed ex Græcis fontibus deriuata. ut. Rhetorica, Dialectica. Philoſophia, triclinium. dica pro lite. acta pro littore.
AEne.5 Virgilius. At procul in ſola ſecretæ Troades acta.

Hinc

Hinc Martialis carpit AEmylianum, quòd Mistyllum pro coco dixerit, ductus Homeri uersiculo Mistyllon teara tealla, i. secabant sanè alia. Quare inquit Martialis. Lib. 1

Si tibi Mistyllus cocus AEmyliane uocatur:

Dicetur quare non Taratalla mihi? Ergo parcè detorquenda sunt nomina & cum iudicio. Ac tandem linguam Latinam ditare cur non licebit, uel nulla cogente necessitate, etiã si à Græcis nihil mutueris? Nam Cicero primus dixit fauorem, et urbanum. Terentius, obsequium. Plautus & Ennius multa finxêre nomina. Horatius addidit pro exemplo (Inuideor.) Vltimum deniq; præceptum circa uerba collocanda est, ut poßimus aliquando uetusta & obsoleta uocabula renouare. ut prosapiam, pro genere, Olli pro illi, fuat, pro sit. indugredi pro ingredi. Hæc omnia pulchra similitudine, & argumentis à minori ductis confirmat: usumq; plurimùm ualere contendit.

QVARTVM PRAECEPTVM,
Singula quæq; locum teneant sortita decenter.

ROscius apud Ciceronẽ caput esse artis decere, solebat dicere: quod tamen unũ id esse: quod Orator. 1

tradi

In Orat. *tradi arte non poßet.* Et Cicero ipse: *Eſt (inquit) eloquētiæ: ſicut reliquarū rerū, fundamentū ſapiētia. Vt enim in uita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quàm quid deceat uidere.* Prepon *appellāt hoc* Græci, *nos dicamus ſanè decorum: de quo præclarè, & multa præcipiūtur, et res eſt cognitione dignißima.* Huius *ignoratione non modò in uita, ſed ſæpißimè & in poëmatis, & in oratione peccatur.* Eſt *autem quid deceat oratori uidendum, non in ſententijs ſolùm, ſed etiam in uerbis.* Non *enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec uerò locus, aut tēpus, aut auditor omnis eodem aut uerborum genere tractandus eſt aut ſententiarum.* Hoc *autem in re, de qua agitur, poſitum eſt: & in perſonis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt.* Hæc Cicero. Nunc *noſtrum poëtam audiamus omnia hæc fuſius tradentem.* Agit *enim primò de decoro uerborum, id eſt, pedum ſiue carminum. deinde de re ipſa: hoc eſt* Tragœdia & Comœdia. Poſtea *de perſonis, & eorum ætatibus.*

Res *geſtæ regum.* Non *omnia inquit, eodem carminis genere ſunt celebranda: indecorū enim fuerit* Lyricis *carminibus bellum* Troianum *exarare.* Quare *res geſtæ regum & horrida bella*

heroico

heroico carmine celebrari debent: quod satis Homeri *poësis ostendit.* Elegiaco *carmine primùm querelæ tantùm scribebantur : unde* Elegum *dicitur.i.flebile.Postea tamẽ res lætas est complexũ, & amores.Huius carminis inuentor incertus est: quamuis* Terentianus Maurus Callinoum *dicat.* Iambico *carmine scriptæ sunt imprecationes: inuentor fuit* Archilocus.*Id enim sentit* Horatius *quum dixit(proprio.)Scribuntur hoc pede* Tragœdiæ & Comœdiæ:*quia maximè aptus est alternis sermonibus, id est,interrogationibus & respõsionibus,ut inquit* Arist.Et Cic.*in* Orat.*perfecto.* In poët. Magnam*(inquit)partem ex* Iambis *nostra cõstat oratio.*Natus *est etiam rebus agendis, id est,tractandis.* Vnde *in actus diuiditur* Comœdia. Lyrico *uersu referuntur hymmi,encomia, &* Olympica *certamina,in quibus* Pindarus *pugiles celebrat, & reges equis uincentes:referũtur & amores iuuenum,& libera conuiuia.*

Descriptas seruare.*Indignatur* Horatius, & *in illos inuehitur qui se putant poëtas, si uersum claudere didicerint:quasi eodem carmine scribatur* Comœdia,*quo* Tragœdia.*An non ita est?non ne ijsdem iambis,ijsdem trimetris, eadem denique lege metimur carmen* Comœdiæ & Tragœdiæ?

Verum est: sed in decoro maxima est differentia: nam senarius comicus non ferè differt à sermone populari & communi. Senarius Tragicus figuris & tropis, historijs, fabulis, similibus est refertus. Exempla ponit Horatius: *Versibus (inquit) exponi tragicis res comica non uult*. Expende hoc carmen exametrum, quàm longe absit à maiestate carminis, nihil habet poësis præter pedes: Comicis deniq; uerbis & popularibus, & minutis est compositum. Præterea uno uersu absoluit rē Comicam. Attende duo sequentia, quàm Tragica, quàm tropis & figuris ornata. *Indignatur item &c.* Quanuis aliquando contingat, ut decorum ita postulet, ut Comœdia attollatur, Tragœdia deprimatur. Attende quibus uerbis id dicat Horatius, & quomodo duobus uersibus eisq; paulū ornatioribus de comœdia loquatur: & tragœdiam uno uersiculo absoluat. Subdit nihilominus utriusque partis exemplum: Nā quomodo Comœdia uocem tollat, declarauit exemplo irati Chremetis: quo uerò pacto Tragœdia se gerat submißius, exemplo Telephi & Pelei, qui cùm essent à patria terra exules, & pauperes, in Tragœdia inducebātur humili sermone utentes, & ampla magnificaq; uerba proijcientes. i. abijcientes. Nā si aliter

inducerentur, riderent auditores, aut dormitarẽt, supinam poëtæ negligentiam notantes, qui decorum personarum non animaduerterit.

QVINTVM PRAECEPTVM.
De *motu animorum.*

NOn *satis est pulchra esse. &c.* Hoc *præceptũ pendet à superiore: adhuc enim de decoro personarum seruãdo agit: sed quia insuper tria uidenda sunt poëtæ, ut doceat, moueat, & delectet: agit nũc de præcipua illa parte, quæ posita est in motu animorum.* Nam *cæteræ partes hanc comitantur: docere enim siue probare necessitatis est, delectare suauitatis, flectere uictoriæ. Qui igitur permouendi præcepta tradit, reliquarum tradit.* In Orat. Hoc *uerè est quod tradi arte non posse dicebat* Ros*cius. Nihilominus tamen utilissimas admonitiones* Horat*ij audiamus.* Prima *est: Si uis alios ad lætitiam, dolorem, iram, misericordiam, & ad alios huiusmodi affectus pertrahere: teipsũ prius ijsdem moue.* Hoc *præceptum non minus ad poëtam ipsum, qui scribit: quàm ad actores siue histriones pertinet.* Vnde *legimus* AE*sopum illum celebrem histrionem, cum* Atreum *ageret,*

ita ira excanduiſſe,ut ſceptro percuſſum miniſtrū interfecerit. Hoc *ſibi præceptum falſò tribuit* Quintilianus,*ut diximus cùm de epilogo egimus.* Secunda admonitio. *Intuendæ ſunt perſonæ dignitates,ut ſeruus,dominus:ætates,ut ſenex, iuuenis: ſexus,ut matrona,nutrix:officia,ut mercator,arator:nationes,ut* Colchus, *Aßyrius:patriæ,ut* Thebanus, *Argiuus. Si uerò quæras quomodo in his te debeas gerere:quidue faciendum, poſtquam hæc conſideraueris:ipſe tibi demonſtrat* Horatius,*qui non ſolùm quid faciendum: ſed quomodo id fiat oſtendit. Conſidera,inquam,epitheta quæ in præcipiendo appoſuit, & regulam habebis breuem quidem illam,ſed magni momenti. Senex, inquit, depingendus eſt maturus,iuuenis feruidus,matrona potens,ſedula nutrix. &c.* Tertia *præclara & à paucis intellecta admonitio.* Aut *ſcribis res notas & ab alijs celebratas, aut nouam & inuiſam arripis ſcribendi materiam. Si notam rem ſcribis,famam ſequere: non enim licebit tibi à fama diſcedere,nec* Polyphemum,*aut* Achillem, *aliter quàm ab* Homero *depinguntur, fas erit tibi depingere:nec* Medeam *niſi ferocem & inuictā: &c. ſin autem noua ſcribis,ſibi conuenientia finge: hoc eſt, ſeruetur ad imum res illa qualis ab*

incepto

incepto processerit, & sibi constet. Deniq; in rebus iam notis standum est alieno decoro: in nostris uerò standum est naturæ & philosophiæ rationibus. Id quomodo poßis assequi, statim aperiet: nūc ex ipsa re quæstionem natam, priùs dissoluit: in qua queri solet: Maior ne laus & fama nobis accrescat ex publica materia, quàm ex nostra & nuper inuenta. Quæstionem breuiter absoluit, inquiens: Quemadmodum difficilius est publicam materiam propriè dicere (quia omnibus ex æquo est proposita, & plures habent iudices) ita potior laus & maior sequitur poëtam, si res cōmunes sibi facit proprias, quàm si primus indicta proferret. Et rectius. i. melius & cum maiore laude ex historia Homerica compones Tragœdiam, quàm si nouam tuteipse excogitasses.

Publica materies. &c. Nunc exequitur præcepta quæ seruanda sunt illi, qui publicā materiā conatur efficere suam. Primùm ne moretur in periodis uilibus, periodū uocat orbē: deinde ne sit fidus interpres, cuius officiū est uerbū uerbo reddere: aliqua etiā prætermittantur, quæ si cantare coneris, aut turbabunt ordinē, aut sibi pugnabunt: deniq; te arctatū & implicatū cernent qui nouerūt historiam: nec incipies inflatus ut scriptor ille Cy-

clicus: Fortunam Priami cantabo. &c. Nā qui sic incipit, maiora promittit, quod si postcà non præstat, ridebitur. Ex hoc loco, quidam ineptißimè reprehendūt Lucanū, Bella per Emathios: Siliū Italicū, Ordior arma, quibus: Statiū, Magnanimum AEacidē formidatamq; Tonāti Progeniē. Quasi uerò uetet Horatius à magnis principijs exordiri, si totū opus cōsonet principio. Sed illos taxat qui magna pollicētur, & nihil ostendunt. Id quod appositißimo declarauit exemplo: Parturiunt mōtes nascetur ridiculus mus. in quo uersu adhuc notabis, primā partem grauibus compositam uerbis magnū quid enunciare: secundā ita paulatim decrescere, ut in unam dictionēmonosyllabā desinat, epitheto etiā apposito ex gracilibus literis. i. & u. Hæc omnia præcepta quomodo seruarit Home. demōstrat, qui bellū Troianū & Vlyßis historiā à multis decātata & in ore omniū posita, propria & sua effecerit, ut scriptor belli Troiani dicatur, quum plures belli Troiani extiterint scriptores.

Tu quid ego & populus. &c. Secundā partem aggreditur, cùm ex nobis aliquid gignimus. In hac parte, inquit, non standum est famæ, sed ex morali philosophia eruenda præcepta: quæ tibi omnia collecta proponit Horatius plenius ac melius

lius Chrysippo & Crantore. Maximè tui operis, ait, decorum seruabis, si ætates cuiusq; personæ lo quentis considerabis. Hæc omnia plana sunt, solùm adnotabo in senũ ætate, malè intelligi à Laurentio Valla uersiculum illum, Laudator temporis acti se puero. non enim ordinandum est, lauda tor se puero, sed acti temporis se puero. li. 3.ca.64

SEXTVM PRAECEPTVM.
De rerum decoro: uel de Comœdia & Tragœdia, & ipsarum partibus.

NEc hoc præceptũ aliud est à quarto, diximus enim decorum uersari circa personas et res: sed perspicuitatis gratia separamus, simul quia Horatius ad Tragœdias & Comœdias totũ se cõ uertit. Aut agitur ergo res in scenis, aut acta refertur. Hæc distinctio huc spectat, ut quæ optima credideris in actione, minimè narrentur esse facta, sed agantur palàm: nã quæ uidemus, ualidiùs mentem excitant, quàm quæ audimus. Quædam tamen etiam si sint admirabilia, potiùs narranda sunt, quàm in theatris peragenda. Circa hoc deco rum reprehensus fuit Euripedes (ut ait Aristot.) In poët.

quòd Medeam in theatro fecerit filios suos trucidantem. deniq; nefaria aut incredibilia non oculis, sed auribus obijciantur.

Ibidem. Neue minor quinto. Quoniam Tragœdia (ut ait Arist.) actio est unius solis, uel paulò plus minúsue: in quinq; actus uidetur propriè posse distribui, ut temporis seruetur decorum. Nec Deus intersit, nisi magnoperè causa postulet: nec quatuor personæ simul loquantur: quod & si sæpè facit Terentius, ita tamen ordinat sermonis seriem, ut nihil sit impedimenti, aut confusionis: nam si tres loquantur, quarta ex occulto sola loquitur: et loquentium sermones aucupatur.

Autoris partes chorus. Nunc illa Horatius aggreditur, quæ aut sunt ex fabula, aut fabulæ partes: ut chorus, tibiæ, tibicen, episodia, siue Satyri.

Chorus, inquit, autoris partes defendat, id est, aliquando in autoris laudem secedat, non enim ex ipsa fabula constat chorus, sed ex his qui extra fabulam sunt, ut populus, aut nymphæ, aut aliquid simile. Defendat officium uirile, hoc est, in uirtutis laudem sit multus. Officium uirile, quid sit, uideo à multis ignorari: nihil aliud tamen est Aristoteli, quàm uirtus ipsa. Eth. 1. ca. 7

Tibia in fabulis antiquis tenuis erat, paucisq;

prædita

prædita foraminibus:sed postquam creuit populus,& tibiæ,et tibiarum ornamenta sunt adaucta. Maior enim populus,& qui minus attentus quàm antea conueniebat, propter diurnas comessationes,maiore tibia erat excitandus.

Tibicen qui antè sedens canebat,posteà cœpit Scenicis uestibus ornari,& per theatrum syrma trahens spaciari.

Carmina quæ antea à Musicis canebantur,cõmunia erant,&popularia:posteà adeò res rediјt, ut cum Delphicis oraculis concertarent,adeò eloquentiam & diuinam sententiam redolebant.

Carmine qui Tragico.&c. Agit tandem Horatius de Episodijs ut uocat Arist.quos hîc uocat Satyros.Locus hic est obscurißimus,& à nemine hactenus(quod sciam)animaduersus.Epeisodium, est(ut ait Suidas) id quod inducitur & adijcitur præter legitimam fabulam risus gratia.hoc uocat Horatius Satyros,uel Faunos,uel Silenos.Hispani uocamus,Entremeses,quod inter medias actiones irrepant.Vnde igitur hæc Episodia ortũ habuerint,declarat,inquiens:Poëtæ tragici,etiam si graues sint & asperi,tentauerunt an risum possent elicere salua tragica grauitate : quare Satyros nudauerunt.i.inuerecũda induxerũtEpisodia,

quia functus sacris auditor, & benè potus, et sinē lege & ordine sedens, erat iocis & aliqua nouitate detinendus. Verùm ita risores. &c. Satyri in Tragœdia risus ciendi gratia quanuis inducantur, memineris tamen te Tragœdiam agere, et ita risum attemperādum esse, ut Tragœdiam deceat. Nā quid magis indecorū, quàm si rex aliquis aut heros pulcherrimis & regalibus cōspectus uestibus, subitò uilißimū dicendi genus arripiat? aut cōtrà ne uideatur humili sermone uti, ita infletur, ut nubes trāscedere uideatur? Tragœdia denique inter proteruos satyros paulū intersit pudibūda, similis matronæ graui, quæ festis diebus aliquādo cogitur choreas ducere. Nō ego inorn. Quo stylo cōponenda sint episodia docet. Scio, inquit, moris esse, ut Satyri scribātur uerbis inornatis. i. cōmunibus: & dominātibus. i. propriè unamquamq; rē, etiam obscœnā, enuntiantibus: Sed ego non solùm his ero contentus uerbis proprijs & significantibus: nec solùm illud obseruabo, ut Silenus in Satyra multùm distet ab ancillula proteruula & audaci, quæ est in Comœdia: Hæc enim obseruanda sunt: sed non solùm (inquam) his ero contentus: sed ex notis & communibus uerbis tale texam carmen, quale quisq; se posse præstare credat: cùm tamen

id

id experiatur,frustra erit,ludetq́; operam. Nā,ut diximus,callida iunctura tritorum uerborum tantum potest,ut noua & inaudita uidearis efferre. Satyri deniq; in Tragœdia nec sint nimium lasciui,nec obscœni & spurci:nam offenduntur equites,qui spectant Tragœdiam,& reliqui homines, etiam uiles,nec probant,nec præmio dignum iudicant poëtam. Vide adag. Ciceris emptor.

His sex præceptis,aut uerius,quatuor,complexus est Horatius quicquid ad perfectionem poëseos spectare poterant. Nunc aliquas prosequitur quæstiones quæ ab illis præceptis pendent:quas in hunc locum distulit,ne præceptorum turbaret claritatem. Nam qui præcipit,breuis esse debet.

POETAE NE GRAECI AN Latini fuerint diligentiores.

SYllaba longa breui subiecta. &c. Fabulæ constāt ex pedibus iābis,iābus ex syllaba breui & lōga,unde fit,ut sit citus. uersus tragici dicūtur trimetri,cùm constent ex sex pedibus. Cur ita? Quia propter celeritatem etiam si sex sint pedes, tres tantùm percußiones habēt (Compases uulgò dicimus). Verba Quintiliani sūt: Sex enim pedes tres lib.9.ca.4

per=

percußiones habent. Trimeter uerò apud Græcos ex pedibus sex omnibus iambis constabat, sed non ita pridem.i.dudum, accepit stabiles spõdæos: sed non in secunda aut quarta sede socialiter.i.in secunda & quarta semper erit iambus. Hunc pedem & hanc legem nec Accius nec Ennius in *suis tragœdijs seruauerũt. Quid ergo agit uterq;? Mittit in Scenam uersus quidem sonoros, sed properatos, & carentes cura & lima, atque ita premit.i.cudit & uix exprimit, ut appareat ignorasse artem.* Et quod peius est, *sic se defendit. Quis est aut quotusquisq; qui inter agendum poßit iudicare legitimus ne sit iambus nec ne?* Præcipuè *cùm* Romanis *poëtis hæc indigna sit concessa uenia?* Ah, *quanto rectius esset, si poëta cùm carmen condit, uisuros cunctos crederet peccata quæ cõmittat.* Hoc *uitare culpam est, non laudem mereri. Quid igitur agendum?* Euolue *poëtas* Græcos, *ad illorumq; normam tua scripta dirige.* Nã *qui* Plautum *conatur imitari, nec uersus faciet, nec iocos homine docto dignos unquam proferet.*

VNDE ORTVM HABVE
rint fabulæ: & quis quæque in his inuenerit.

Ignotum

IGnotum Tragicæ. Thespis poëta primùm inuenit tragœdiam, actoresq; plaustris circumuehebat fæcibus perunctos, ne agnoscerētur. AEschylus tragicus inuenit personas quibus actorū obtegeret uultus, & agere instituit in theatris, ideòq; grādiloquentiā, & cothurnos inuenit. Postea inuenta est Comœdia uetus, quæ maxima cum libertate notabat prauos ciuium mores. sed hæc licentia lege cohibita est, & chori sublati sunt. Hæc de Græcis. Latini autem omnia cum laude tentarūt. nec minus clari fuissēt lingua quàm armis, si quæ scribebant, uoluissent limare: poëma uerò nisi sæpius castigetur, reprehensione non carebit.

VTRVM INGENIVM an ars plus in carmine condendo ualeat.

INgenium misera. Dicebat Democritus poëtas non fieri, sed gigni, quare ingenium siue natura & furor ille insitus efficit poëtam, non ars. Hanc quæstionem paulò pòst dissoluit Horatius: nunc irridet illos, qui huic Democriti dicto adhærentes, nec ungues, nec capillos, nec barbam abscindunt: & secreta loca petunt: & balnea uitant: quasi illud

lud ſit quod poëtam poßit efficere. Addit ridens: ô me dementem, qui quotãnis bilem purgo, & mun ditijs indulgeo. quod ſi non feciſſem, iam in celeberrimum poëtam euaſiſſem. Sed quando hac nõ ſuccèßit, ero præceptor poëtarũ: et, quid optimũ efficiat poëtam, ipſe nihil ſcribens, docebo. Proponit autem ſe dicturum quod in his carminibus ſequẽtibus cõtinetur: quod cũ expleuerit, finiet artẽ.

Vnde parentur opes:
Quid alat formetq; poëtam:
Quid deceat, quid non:
Quò uirtus, quò ferat error.

HAEc eſt materia dicendorũ uſq; ad finẽ libri, Vnde parentur opes egregiè docet inquiens: Scribendi rectè ſapere eſt, & principium, et fons. Quaſi dicat. ſine ſapientia, ſine philoſophia, inane eſt quicquid ſcribis. Rẽ tibi Socraticæ. Admonui mus ſuperius ex Quint. cõſtare orationẽ ex rebus et uerbis. Et Cicero in partitionibus uim oratoris in rebus & uerbis eſſe dixit. Idem in calce ſecundi de Oratore: Verba igitur, inquit Craſſus, mihi reliquit Antonius, rem ipſe ſumpſit. Et noſter Horatius in principio artis: Cui lecta, inquit, potenter erit res. & infrà: In uerbis etiam tenuis cautuſq; ſerendis. Eodem ergo pacto in hac parte

inquit:

inquit: Cùm ex rebus et uerbis constet oratio: Res ab ipsa philosophia sunt petendæ, & à Socratica doctrina: Nam sine philosophia nullus extitit unquam poëta. Quam si rectè calluerit, de uerborũ inuentione iubebo illum esse quietum, aut saltem non solicitum. Nã qui didicit quid debeat patriæ, quo amore parentes, quo amici, quo hospites amãdi, & cætera quæ adiecit Horatius: non multũ laborabit in inueniẽdis proprijs cuiusq; rei nominibus: Verba nanq; facilè sequuntur rẽ præuisam. Hæc aliquanto longius congeßi, ut intelligamus quid uoluerit Persius in tota prima Satyra: qui reprehendit scriptores qui repentè poëtæ sunt effecti, qui cùm uersus inopes rerum nugasq; canoras effutirẽt, se perfectos poëtas existimabant. Quare meritò incipit exclamando: ô quantũ est in rebus inane! in rebus inquam, nõ in uerbis, nam Pædius crimina rasis librat in antithetis, doctus posuisse figuras. Deniq; quanuis uerba sint lectißima, uersusq; politißimi, non carent acerrima reprehẽsione: quia ut inquit Cicero: Si res nõ subest ab oratore percepta & cognita, aut nulla sit oratio necesse est, aut omniũ irrisione ludatur. Quid est enim tã furiosum, quàm uerborũ uel optimorũ atq; ornatißimorũ sonitus inanis, nulla subiecta senten- Orat. 1

ſententia,neq; ſcientia. Hæc ille, quæ omnia optimè declarant ſcopũ Perſij in tota prima Satyra.

Graijs ingenium. Secundam partem aggreditur,quid formet poëtam. à qua breuiter ſeſe expedit: Si Græcos inquiens,poëtas imiteris, qui nullius rei auari ſunt,præterquam gloriæ. Nam Romani rebus familiaribus intenti, perpetua carmina & æterna quomodo component?

Aut prodeſſe uolunt. Tertia hæc pars eſt, de decoro,nõ de eo quod ſuperius dictum eſt,nã tunc de decoro ſeruando in rebus & perſonis egit, ſed quid deceat ipſos poëtas: quidq; ipſis conueniat. Exemplis res fiet illuſtrior. Tria ſunt genera poëtarũ:uel potius tres ſunt ſcopi poëtarum. Quidã uolunt prodeſſe tantùm,ut Theognis apud Græcos,apud noſtros Cato ille qui circunfertur. Quidam delectare tantùm, ut Ouidius in Metamor. Quidam uerò utrumq;,ut Homerus & Virg. hoc genus longè cæteris anteſtat:hi poëtæ ſunt qui leguntur,& uiuunt æternùm. In quibus ſi fortè ſit aliqua incuria,ignoſcendum eſt,nam & peritiſsimi ſagittatores aliquando aberrant ab ſcopo, & doctiſsimi muſici diſſonantiam efficiunt. At cõtrà ut librarius.i. librorum ſcriptor, ſi ſæpius peccet, uenia caret;& citharœdus qui ſemper eadem oberrat

errat chorda ridetur & exploditur: sic poëta, qui semper eodem reuertitur, comparatur Chœrilo pessimo poëtæ, quē, si bis aut ter aliquid acutè protulit, miror: quemadmodum etiam indignor quoties egregius poëta Homerus dormitat. Notabis autem quomodo explanauerim uersiculum cōtra omnium opinionem. Nam dictio (quādoque) apud Horatium semper pro (quotiescunq;) accipitur. Vide Odam primam & secundam quarti carminum. Expone igitur alia dispunctione, sic: quemadmodum pessimum poëtam miror, quando bis aut ter bonus est, ita indignor quotiescunq; bonus dormitat Homerus. Præterea decet considerare in rebus omnibus tolerabilem esse mediocritatem, non autem in poësi, quæ nisi fuerit optima, contemnitur. Causam reddit Cicero in fine primi de Or[illegible]t. A quibus, inquit, nihil præter uoluptatem auri[illegible]m quæritur, in ijs offenditur, simul atq; imminuitur aliquid de uoluptate. Et ipse met Horatius egregia hoc probat similitudine. Cùm tamen hæc ita sese habeāt, ut in rebus cæteris sit mediocrè laudandum, & poëta non nisi optimus probetur: tamen omnes audent uersus fingere, & indignum putant, si poësin ignorent, cùm cæterarum rerum se esse rudes dicere non erubescant: ne

videantur ab astantium corona. Expedit etiam *poëtæ ut emendet quæ scripserit, & doctis etiam tradat emendanda.* Deinde *ne præcipitet opus, sed domi per multos annos retineat, quia domi subinde corrigitur, at postquàm euolauit, nescit uox missa reuerti.* Hoc ego *præceptum seruare posse optarē: qui tribus non amplius diebus hæc raptim & properanter scripsi, tot interim lectionibus publicis impeditus, & domesticis etiam occupationibus detentus.* Nunc *huic parti coronidem addit* Horatius *de præstantia & antiquitate artis poëticæ disputans: quod non alia causa facit, quàm ut ad rem præclaram excitet iuuenum animos: & tot præcepta ne pertimeant subire, quādoquidem ars ipsa præstantia sua his & maximis alijs sudoribus non sit indigna.*

Natura *fieret.* Vltimū *hoc est quod* proposuit: *quò uirtus & ars nos ducat, quóue error et artis ignorantia.* Locus *hic aptus est ad discutiendam quæstionem illam: plúsne ingenium ualeat an ars, quam quæstionem priùs tetigit, nec soluit.* Hîc *autem disserendum est de præstantia artis, & de ignorantiæ malis.* Respondet *itaq;*: Nec *artem sine natura, nec naturam siue ingenium sine doctrina quicquā proficere affirmo: ambo præcipua sunt,*

& in-

& inter se connexa. Sed si liberè sentiendum est: qui studet optatam metam consequi, à teneris unguiculis industria, laboribus, uigilijs se maceret oportet. Nam si in Olympijs non accipit coronã, nisi qui multa tulit, nisi qui ab ipsa infantia se exercuit, nisi qui Venere & uino abstinuit: Et si cãtores, ut in Pythijs ludis excellant, non nisi plurimis laboribus & industria id assequuntur: quorsum tu in arte omnium præclarißima sine doctrina, labore, sudore, sed solo ingenio & natura uis egregius haberi? Aspice rursus qui ingenio fretus tibi poëta uideris, quot te sequantur incõmoda. Primùm quoniam tuteipsum fallis, omnes te decipiunt. Nam scis comitem horridũ (ut ait Persius) trita donare lacerna, scis spondere leui pro paupere, & eripere atris litibus, deinde tradis illi carmina emendanda: Et uerum, inquis, amo: uerũ mihi dicito deme. Ille quid? Laudabit & in cœlum tollet, tundet pede terram, deniq; derisor plus quã laudator uerus mouetur. Multò sapientius magnates agunt, quum aliquem uolunt probare, an sit amicitia dignus: torquent enim uino: & ita interiores omnes cogitationes scrutantur: iuxta prouerbium: In uino ueritas. Qui ad uersus factos ueros iudices uult adhibere, similes eligat Quinti

lio qui nullo habito personarum respectu, uitia notabat, quæ si defendere conarère, te missum cũ tuis carminibus faciebat. Hinc arrepta occasione Horatius describit nobis optimum carminũ emendatorem. Vt mala quem scab. Hoc aliud malum est, quod inscios comitatur poëtas. Nam sicut scabiosos & phanaticos solemus fugitare: ita qui sapiunt uesanũ poëtã auersantur, præterea exagitatur à pueris, & fit uulgi fabula: nec iã uult seruari, & ad meliorem mentem reduci: erroresq; suos diligit. ueluti qui in puteũ decidit, nec si quis demittere funem curet, ipse seruari uelit. Quemadmodum Agrigentinus Empedocles philosophus & poëta dum Siculos suam mortem uoluit celare ut pro Deo coleretur, sese in AEtnam præcipitauit: Pereant pereant fanatici poëtæ, quandò & uolũt ipsi perire: nõ sit qui, quo minus id faciant, obstet: nam inuitũ qui seruat, idem facit occidenti. Hic uersiculus non parum torquet eruditos, nonnullos etiam grammaticos: at uerò si consideres Horatium aliquando ex Græcis plurimas loquendi formulas arripuisse, nullus hîc scrupulus remanebit. Hoc nomen (idem) apud Græcos aptè iungitur datiuis. ut si dicas habeo idem nomen regi: hoc est, habeo idem nomen cum rege. Vsus

est & Lucret. hac loquẽdi formula lib.3.in calce.
Adde Heliconiadũ comites: quorũ unus Homerus
Sceptra potitus, eadem alijs sopitus quiete est.
Et Ouidius in Ibin.
Vtq; duobus idem dictis modò nomen habenti.
Sententiam uerò Horatianam expreßit clarius
Seneca in Thebaide inquiens:
Occidere est, uetare cupientem mori.

FINIS.

IN OBITVM D. IOANNAE Castellæ, Aragoniæ, Legionisq; Reginæ. Francisci Sanctij epitaphius.

HEsperiæ Regina plagæ peto sidera tandem,
Impleui postquam regibus omne solum.
Namq; si in occiduis defigas lumina regnis,
Qua subit Oceanum diuitis unda Tagi:
Inuenies illic quæ Seras frænet & Indos,
Et quæ Gangaridis det pia iura uiris.
Siue etiam spectes Boream, septemq; Triones,
Hic quoq; chare nepos iura Philippe tenes.

Nec procul hinc triplici exultat quæ Gallia regno,
Læta fuit nostræ prolis habere ducem.
Romanis, Hunnisq; simul clara indole regem:
Et dedimus Regem terra Bohema tibi.
Extremos hominum Morinos mea filia ducit,
Qua pulsas Scythicas Rhene bicornis aquas.
Et qui Romulidis quondam dare iura parabas
Cimbre, caput proli subdis inerme meæ.
Quid iã parua loquor? sũmũ orbi nõne Monar=
Tẽpora cui cingit terna corona, dedi? (chen,
Qui duras Arabum gentes, Turcasq; rebelles
Contudit, ut Christi floreat alma fides.
Ausus & Herculeas metas diuellere, pontum
Per medium ducit, quò noua regna petat.
Nec prius inuentis statuit finemq́; modumq́;,
Quàm subtus posset cernere Gangis opes.
Sic natos uidi Reges, Regesq; nepotes,
Et Reges horum pignora grata simul.
Fœcundo postquam compleui germine terras,
Auctura Indigetes summa per astra uehor.

EIVSDEM, DE IVDAEA VO=
ratura filium in obsidione Hierusalem.

Dum uariæ in dubio rixantur pectore curæ,
Concurruntq; pares hinc amor, inde fames:
Infelix

Infelix Hebræa parens,miserabilè,dixit
Infanti lachrymans tristia uerba suo.
Heu malè natepuer,reddes mihi sãguinis haustus,
Quæq; tibi tribui,lactea membra dabis.
Fata iubent: genitrix, quanuis natura repugnet,
Ex me prognato corpori ero tumulus.

EIVSDEM DE PHILO-
mela.ex Græco.

Præpetibus pennis uento bacchante ferebar
Per mare Bistonio,qui mihi sæuus erat.
Sed me dulcissonam suscepit aëdona curuo
Pontiuagus delphin corpore,piscis auem.
Quæ fido tranans spaciosum remige pontum,
Mulcebam uarijs corda marina sonis.
Delphini Musas naulo sine sæpè tulerunt,
Nam neq; Arionis fabula falsa fuit.

ERRATA.

Fol.9.pag.1.uer.12.raptauerat.Ibid.p.2.u.11.loco fol.10.p.1.u.14.uincire.fol.12.p.1.u.9.quia.fol.13 p.2.u.6.accusantur.fol.15.p.2.u. 8. aut ad.fol.18. p.2.u.10.euenturum.fo.23.p.1.u.21.uirtuti.fol.24. p.2.u.2.manum.fol.31.p.1.u.22. perceptio. fol.35 p.1.u.15.Primus est.Ibidem.p.2.u.18.effici. fo.43 p.1.u.22.solent.fol.44.p.1.u.15.oratore.fol. 46. p.2.u.4.libidines.fol.64.p.2.u.22.Sagittarij.

